

4. Bibliographie der Schriften

**August Herr[!]mann Franckens,
Weyl.S.Theol.Prof.Past.Vlric.et Schol. COLLEGIVM
PASTORALE über D. IO. LVDOV. HARTMANNI PASTORALE
EVANGELICVM. Anderer ...**

Francke, August Hermann

Halle, 1743

APHORISMI PASTORALES EX EPISTOLA PAVLI AD TITVM DESVMTI ET
PRAELECTIONIBVS ACADEMICIS

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

APHORISMI
PASTORALES

EX

EPISTOLA PAULI AD TITVM

DE SVMTI

ET PRAELECTIONIBVS
ACADEMICIS

ANNO ·MDCCX

ILLVSTRATI

A

B. AVGVSTO HERM. FRANCKIO.

APHORISMI
PASTORALIS
EX
PRISTINA PARS AD TITUM
DESMIT
ET FRATRES CONGREGATIONIS
ACADEMICIS
ANNO MDCCLX
ILLVSTRATI
A
P. AVGVSTO HERM. FRANKO



Quod Deus bene vertat!

DE Ecclesiae ministrorum officii acturis nobis pro instituti nostri ratione, ea tantummodo delibare animus est, quae ad interiora officii sacri munera rite obeunda, ad prudentiam, sapientiam, grauitatem, lenitatem, moderationem, adeoque ad illa omnia pertinent, in quibus peccatur quotidie, licet munera externa praestentur.

Eam vero ob caussam epistolam Pauli ad Titum scriptam ad finem, quem nobis constituimus, vel inprimis adcommo-datam, elegimus; quia saepius vnum alterumue monitum, immo vna alteraue vox haud vulgares sapientiae thesauros et fontes nobis aperit: quod non diffitebitur, qui rerum ecclesiasticarum vsu doctus et experimentis eruditus, in interiores illius recessus penetrauerit.

Rationes, quibus ducti ad hanc tractationem adgressi fuimus, facile intelligentur, curatius si consideretur

1) muneris sacri, vel angelicis humeris tremendi, grauitas atque dignitas,

Fr. Obs. Pqst. P. II.

¶ p 2

quip-

quippe quo ipse Filius DEI, quum in his terris natura humana indutus versaretur, fungi non dubitavit;

2) Si perpendatur temporis, quo vivimus, periculosissimi atque corruptissimi ratio, quae ita comparata est, ut aliquem facile a suscipiendo munere sacro deterre-
re possit.

3) Quodsi denique in rebus humanis iisque facillimis hallucinamur, aliorum nisi nos prudentia regat: quid tandem de iis statuemus, quae modum virium humanarum longissime excedunt, quaeque tantas nobis obicere difficultates solent, iis ut expediendis impares prorsus simus, nisi aliorum sapientia, quam usu rerum consecuti sunt, in consilium adhibeatur?

Atque ex eo harum scholarum utilitas facile agnosceretur, cuius ideo explicandae labore superfedere possumus, Lectori attentio-
rem rerum ipsarum considerationem commendantes. Interim consuli ad nostri instituti rationem poterunt GROS-
GEBAVERI (*) *Vox custodis.* EIVSDEM
(**) *Proprium remedium ad pestem recentiorum Atheorum antevertendam;* IT. (***) *Religio antiqua.* SCHARFFII (****) *Ratio de cura Lunensi reddita.* Tit.

(*) Die Wächterstimme aus dem verwüesteten Zion.

(**) Präservativ wider die Pest der heutigen Atheisten.

(***) Alte Religion.

(****) Linnische Rechnung.

Tit. I, 1.

Paulus, seruus Dei, Apostolus autem IESV Christi.

APHORISMVS I.

Qui fungitur ministerio Ecclesiastico, non nomine tantum seruus Dei et Iesu Christi esse debet, sed re ipsa a); ita nempe, vt conscientia rectae voluntatis studiique sinceri erga Seruatorem sustentetur, ac Spiritus S. testimonio exploratum habeat, se seruum Dei existere, et vere a Christo missum esse ad nunciandum Euangelium Dei, se Christo seruire vere in iustitia, pace et gaudio in Spiritu sancto, omniaque non ad suum emolumentum, sed ad gloriam Domini sui referre, nec aliud sibi propositum habere in vita, quam vt sit quasi manus Domini sui b), cuius voluntati, sua penitus abiecta c), iure et libenter morem gerere oporteat.

a) Quemadmodum Paulus I Cor. XII, 3. *Nemo, inquit, vocare potest Christum Κύριον, sine Spiritu sancto*: ita se nemo seruum Dei adpellare potest, nisi per eundem Spiritum. Qui enim seruorum Dei

pp 3 nomen

nomen tantummodo vsurpant, in regno Dei sunt adulterini, Pseudapostoli, et falsi doctores: nam licet vera doceant, non tamen ex veritate loquuntur. Conf. Praefatio ARNDII ad L. III. *de vero Christianismo*; it. L. I. c. XXXVIII.

b) In Scriptis Prophetiis Deus passim loquutus esse dicitur ^{usq} per manum Prophetarum, e. g. Ies. XX, 2. Hagg. I, 1. II, 1. Non secus vero, qui se vocat seruum Dei, in primis tempore N. Testamenti, manus sit, qua Deus ad opus suum in Ecclesia faciendum ex sententia uti possit. Conf. Matth. VII, 21. XXV, 14 seqq. it. v. 45 seq. Luc. VI, 46. XII, 35. 36. Rom. XIII, 17. 18. Ebr. III, 15. 2 Tim. II, 15.

c) Qui serui Dei genuini euadere cupiunt, viam magis compendiariam non inuenient ea, quae in abnegatione voluntatis suae eiusque rei exercitatione perpetua et assidua consistit. Gradus vero illius exercitationis esse intelligitur ex epistolae ad Rom. XII, 2. *Vt exquiratis, quae sit voluntas Dei bona illa, accepta et perfecta.* Legi praeterea hanc in sententiam merentur ERASMI SARCERII scripta pastoralia. E. g. (*) *Eius pastorale, in quo omnia*

(*) *Hirtenbuch, darinnen das gantze Amt aller treuen Pastoren, Lehrer und Diener der christlichen Kirche, beydes ihre Lehre und Leben betreffend, beschrieben wird.* Francof. 1566.

omnia officii sacri munera omnium fidorum
pastorum, doctorum atque ministrorum ec-
clesiae et ad doctrinae studia, et ad vitae
conformationem pertinentia exponuntur. (*)
De disciplina cet. (**) EIVSDEM liber do-
mesticus, praecipua christianae religionis
capita complectens in usum patrum familias
rudiorum cet. (***) IT. De adiumentis ac
rationibus veram illam sanamque religionem
confirmandi et conseruandi.

Cap. I, 4.

Paulus - - - Tiro, germano filio
suo.

APHORISMVS II.

Antequam aliquis subeat munus
ecclesiasticum, omni studio eo con-
tendisse necesse est, vt germanus sit
filius Christi et Apostolorum eius a),
quo haberi talis vere possit, si man-
danda ipsi animarum cura fuerit.

a) Ad

(*) Von der Disciplin, dadurch Zucht, Tugend und
Ehrbarkeit möge gepflantzet und erhalten werden
cet.

(**) Hausbuch für die Einfältigen Hausväter, von den
vornehmsten Articula der christlichen Religion cet.

(***) Von den Mitteln und Wegen, die rechte und
wahre Religion zu befördern und zu erhalten.

a) Ad vim naturamque germani Christi et Apostolorum filii quatuor omnino res pertinent;

1) *Vt per verbum Christi, Apostolorum ac Prophetarum vere ad Deum conuersus sit.* Ies. VIII, 18. ipse Messias, ecce, inquit, ego et filii, quos dedit mihi Iehoua: ad quem locum Paulus respicit ad Ebr. II, 13. Quemadmodum ergo Apostolus Titum vocat germanum suum filium: ita eadem fere ratione Christus de suis loquitur. Ex quo conficitur, verbi diuini ministros esse debere filios Christi et Apostolorum genuinos.

2) *Vt doctrina Christi et Apostolorum, quantum satis est, imbutus sit.* Referenda huc est sententia illa Seruatoris optimi plane insignis, Matth. XIII, 52. *Omnis γραμματεὺς ad regnum Dei edoctus*, h. e. qui non modo antea versatus est in scriptis V. Testamenti, sed etiam in schola Christi edoctus, *similis est patrifamilias, e thesauro suo depromenti vetera*, quae ad foedus illud verus pertinent, ex scriptis Mosis ac Prophetarum, *et noua*, quae ex luculentissima N. Testamenti doctrina hausit, atque a Christo ipso eiusque legatis accepit.

3) *Vt abnegato se ipso cruci se nulla ratione subducat.* Luc. VIII, 23. 24. *Si quis me vult sequi, abneget se ipsum cet.* Conf. etiam

etiam cap. XIII, 26--33. it. Phil. II, 20.
21.

4) *Vt constanti vitae ratione habitantis in pectore suo Spiritus Christi indicia det, agnitam veritatem euangelicam semper in vsu habeat, quo semper idem sit animo atque oratione.* Conf. I Tim. I, 2. 2 Tim. III, 10. II.

Missä vberiore horum dictorum explicatione, id duntaxat notamus, non parum magnam vim habere, quod Paulus Timotheum et Titum in illis epistolis, quas ad ipsos dedit, *germanos suos* adpellat *filios*. Eadem enim compellatione non promiscue, nec aliis in locis, vbi ipsi cum fidelibus res est, vtitur: ex quo intelligatur, eos, quibus Apostoli curam pastoralement commiserint, ab ipsis agnitos et habitos fuisse filios germanos, alioquin illam ipsis non mandatam fuisse. Et quemadmodum CHRYSOSTOMVS ad h. l. et ad Timoth. c. I, 1. 2. optime notat, grauissimam subesse causam, cur Apostolus publicis ecclesiae doctoribus, Tito atque Timotheo, misericordiam adprecerur; scilicet, quod ea ob muneris ipsis iniuncti grauitatem, et ob reliqua illa, quae cum ipso coniuncta esse solent, maxime indigeant: ita nos etiam recte statuimus, non sine singulari adfectu factum fuisse, vt Apostolus Titum atque Timotheum *germa-*
Fr. Obs. Past. P. II. *D. q* *nos*

nos suos filios adpellaret. Sine dubio enim Paulus hac beneuolentiae plena adpellatione vsus est eo consilio, vt vtrumque excitaret, vt se praestarent germanos Apostolorum filios.

Praeter adfectum amoris flagrantissimi, quem haec compellatio aperitissime designat, hoc etiam animaduertamus, in quanto errore illi versentur, qui in studio suo Theologico nihil aliud quaerere videri volunt, quam vt aliquando genuini Lutheri adseclae numerentur, h. e. vt externam doctrinae formam, quam Lutherus tradidit, in omnibus et minimis etiam rebus teneant, eamque contra omnes veritatis hostium imperus tueri valeant. Qui enim in eo omnia esse putant, vt aliquando sint *γυναικας*: Lutherani, non curantes, vt sint genuini Christiani, nunquam illud adsequuntur, quod sequuntur, idque iusto diuino supplicio, et sententia Christi: *qui non habet*, inquietis, h. e. qui eo, quod habet, non recte vitur, *ab eo etiam auferetur id, quod habet*. Tales postea a spiritu Lutheri, cuius omnes illius actiones plenae fuerunt, redarguuntur, facileque eo prolabantur, vt, inscii licet, ipsam Lutheri doctrinam, quam alioqui iactant, si ipsorum cupiditatibus aduersari videatur, impugnent, deforment atque abiiciant;
nomen

nomen interea *γινώσκω* Lutheranorum temere sibi imponentes.

Quisquis ergo aliquando genuinus Christi et Apostolorum filius ac discipulus euadere gestit,

a) primo puoque tempore eundem finem studiorum suorum sibi proponat;

b) Circumspiciat etiam viam, adiumenta et rationes, quibus eam, quam sibi constituit, metam feliciter attingere possit;

c) Res suas serio Deo commendet, auxiliumque eius indefessis sibi precibus expetat;

d) Scripta quoque sacra in dies magis sibi familiaria reddat, nec ea modo legat relegatque, sed in assidua rerum meditatione animum quasi peruoluat, inter legendum ac meditandum vero mens inprimis in Christi, Apostolorum ac Prophetarum spiritu, qui in omnibus eorum dictis est, ita figuratur et locetur, ut ipse quoque diuino illo ardore inflammetur, hacque tandem ratione illum non solum in scriptis sacris agnoscat, sed etiam vim illius virtutemque in se ipse experiatur;

e) Denique in verbum Dei, tanquam in speculum inspiciat, atque in eo imaginem Christi in apostolis inprimis expressam, eo consilio acri mentis acie intueatur, ut non solum vita externa ad illam simili-

rudinem fingatur, sed animus praecipue intimus totaque mens cum omnibus consiliis et studiis, in speciem illam pulcherrimam Christi formentur. Multum ergo quemuis iuuabit, si saepius legat epistolam aliquam Paulinam eo fine, ut non verba tantum et sententiam earum teneat, sed ut elucentem etiam ex oratione integra, et ex adfectu animi, qui verbis exprimitur, Spiritum Christi in Paulo dominantem animaduertat. Quod si tandem

f) etiam preces accedant seriae, Deumque roget, se ipsum ut spiritu illo Paulino animare velit: tum demum reddetur verus christianus atque theologus, germanus Christi, Apostolorum atque Prophetarum filius.

Quod reliquum est, conferri hic potest libellus iste germanicus, quem inscripsimus: (*) *Timotheus tamquam exemplar omnibus Theologiae Studiosis propositus.*

Cap. I, 1. 2. 3.

Paulus seruus Dei; Apostolus autem IESU Christi secundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis, quae est

(*) *Timotheus zum Fürbild allen Studiosis Theologiae vorgestellt.*

est ad pietatem ; Ad spem vitae aeternae, quam promisit Deus ille mentiri nescius, ante tempora seculorum, manifestam autem fecit praestitutis temporibus suis, videlicet sermonem illum per praeconium, quod concreditum est mihi ex imperio Saluatoris nostri Dei. Tito cct.

Notandum in primis, vocem *κατὰ* solere ab interpretibus nonnullis reddi *secundum*, ut sententia sit, in Apostolo non aliam fidem esse, quam eam, quae a condito mundo seu ab initio fuerit in omnibus electis Dei; ut ita similitudo doctrinae, confessionis, ac fidei omnium temporum hac particula declareretur. Alii vero finem significari censent, quem sibi Apostolus in officio suo administrando constituerit, ut nimirum fides electorum Dei confirmetur, stabiliatur, et cognitio veritatis, quae in Iesu Christo est, quaeque ad pietatem refertur, spe proposita vitae aeternae, adnunciatione euangelii mortalibus adferatur per vniuersum orbem terrarum. Quae posterior sententia maxime consentanea est aliis dictis Paulinis, in quibus solet eadem vox *κατὰ* finem rei alicuius demonstrare. Ita tamen duae hae sententiae comparatae sunt, ut sibi

non repugnent, sed potius suavissime inter se conciliari queant.

Quod autem ad vim effati Paulini attinget, quo v. 3. dicitur *κατὰ κοινήν πίσιν*, *secundum communem fidem*: Apostoli mens eo redit, ut, quemadmodum ipse ratione muneris Apostolici nihil aliud spectet, nec alium finem sibi habeat propositum, quam fidem electorum Dei, et veritatem, seu cognitionem veritatis, quae refertur ad pietatem; ita etiam Titus, ceu germanus ipsius filius, secundum fidem, ea omnia, quae dixit, secum habeat communia. Atque ita haec possunt repeti v. 4. *Τίτω γνησίῳ τέκνῳ κατὰ κοινήν πίσιν, χάρις, ἔλεος, εἰρήνη ἀπὸ Θεῶ πατρὸς, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν.*

APHORISMVS III.

Minister Ecclesiae non solum in animo insculptam semperque menti obuersantem habere dabet ac retinere studio ardenti, notionem totius negotii sibi mandati *ἐνεργεῖα* Spiritus sancti informatam, sed etiam finem illum diligenter cogitare, ad quem omnia officia referri debent. Pertinent vero ad vim naturamque vltimi illius boni, omnes thesauri euangelici

ci

ci ipsi concrediti. Continetur ergo illo communio electorum Dei, in quorum *παρηγοία* animo versari debet: continetur eo spes vitae aeternae sibi propositae, suaque opera aliis proponendae: pertinet eo cognitio gratiae et veritatis, quae est in Iesu Christo, referendae ad solidam et veram pietatem in animis hominum gignendam; cognitio praeterea testimoniorum S. codicis certissimorum, et ipso rerum euentu comprobatorum, nec minus oeconomiarum Dei diuersarum, et eius *ιδίων κειμένων*: pertinet eo certa fides vocationis suae diuinae et mandati sibi a Deo dati euangelium nunciandi, ac denique etiam amoris diuini, quo ad munus sacrum fuerit electus, salutisque illius cognitio, cuius et ipse a Deo factus est particeps, et quam alii ipso quasi internuncio pariter consequi debent.

Minister ergo ecclesiae non modo ea omnia, quae recensita fuere, animo suo complecti, sed eorum etiam viuidam et praesentem semper in animo habere debet per Spiritum sanctum insculptam notionem, si velit praesentiore et excitatio-

re animo fungi officio suo , quod sibi delegatum esse sentit.

Inprimis ipsi omnitempore ante oculos versetur

1) Muneris sui sacri omnium longe praeclarissimi dignitas atque grauitas. Ipse enim filius Dei humana natura indutus, inque his terris obambulans, omnes curas, cogitationes, mentem denique omnem eo contulit, vt miseros mortales crudelissimae infernalis genii tyrannidi subiectos eriperet, ereptosque cum Deo in gratiam reduceret.

2) Secum etiam atque etiam finem ministerio ecclesiastico propositum perpendat, quo eum gratia Dei adiutus felicissime consequatur.

3) Inaestimabilem illum diuinæ veritatis thesaurum sibi concreditum 2 Cor. III. omnibus aliis rebus longissime praeferat.

4) Hoc sibi praeceptum vel inprimis datum esse firmissime credat, vt animo quasi in *πρωτοῦ* siue coetu et concilio electorum Dei versetur. Quare etiam Paulus de munere suo loquuturus, his verbis vtitur: *Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi SECUNDVM FIDEM ELECTORVM.* In medio veluti electorum Dei coetu sibi constitutus esse videbatur, certum satis

fatis

fatis exploratumque habens, non solum se eiusdem cimelii participem factum fuisse, quod omnes, qui Iesum vera fide receperant, consequuti fuerant; sed et hoc in mandatis habere, eundem ut thesaurum aliis exponeret, quo, cum Deo in gratiam redeuntes, in sanctam illam civitatem accipi possint.

5) Nunquam non memor sit spei vitae aeternae, ad quam ut ipse vocatus fuit, ita et alios excitare debet; quo spreto contemptisque huius vitae inanibus atque caducis deliciis, ad aeterna, nunquam desitura gaudia adspirent.

6) Viua gratiae et veritatis, quae in Iesu Christo est, cognitione imbutus sit, quo peccatoribus ad Christum reducendis veram illam et ab omni fuce alienissimam pietatem tradere queat.

7) Testimonium, quod de se Deus in S. litteris dixit, veritatem, quam Deus, mentiri nescius, inde ab orbe condito per sanctos suos Prophetas testatus est, quam altissime in animo infigat, quo veracitatem illam diuinam, quam viua Spiritus sancti vi atque virtute in se expertus est, aeque ac Paulus cum summa animi libertate ac fiducia testimonio suo comprobare aliosque ad Christum inuitare possit.

8) Formam quoque veram oeconomiae Dei vtriusque, nouae illius atque veteris

teris animo comprehensam habeat oportet, quo de vtraque adcurate statuere, et *καὶ ἐὰν ἴδῃς τὸ Θεῶν* probe animaduertere possit.

9) Certam etiam ac perceptam habeat vocationem internam eamque diuinam, quae optime intelligitur ex fiti inexplibili ad Iesum Christum animas adducendi.

10) Grata mente agnoscat indulgentiam diuinam, qua ad tantam tamque praeclaram prouectus fuit dignitatem, vt ministerio suo aliorum saluti veraeque felicitati consuli debeat.

11) Salutis denique sibi a Deo datae nunquam obliuiscatur, omnibusque animi viribus nitatur et contendat, vt fidei suae commissos ad eandem salutem petendam et adipiscendam excitet et adhortetur.

Quae omnia, nisi in mysteriorum diuinorum dispensatoris animo altissime sint infixata, adeo non quasuis officii sacri partes impleturus credendus est, vt potius pro cadauere habendus sit. Quemadmodum ergo non leue ducendum est, haec omnia in epistolae huius inscriptione contineri: ita nec Paulus iactator nobis in eo videri debet, quod haec de se ingenue profitetur. In iis enim recensendis nulla ratione gloriam vanam aucupatur, sed viuidam

uidam potius exprimit ministerii ecclesiastici imaginem, quam animo suo complexus fuerat, adfectumque illum apostolicum maxime admirandum declarat.

Quod reliquum est, lectorem in vberiore huius maximi momenti rei meditationem inducturi, legenda curatiusque perpendenda commendamus nonnulla epistolarum apostolicarum exordia, e. g. Rom. I, 1. ad 6. 2 Cor. I. 1-14. Gal. I, 1-15. aliaque scriptorum sacrorum loca, ubi Apostolus in primis cum de officiis ministri generatim praecipit, tum de *diuina* spiritus differit, e. g. 2 Cor. II, 14-17. capita III. IIII. V. integra; caput VI. maximam partem prae reliquis enim illa epistola grauissima sane, magnoque spiritu conscripta, multa suppeditat loca, quae ad nostrum institutum pertinere rectissime creduntur. Adde Eph. III, 1-13. 1 Thess. II, integrum; 1 Tim. III, 1-15. c. VI, 11-16. 2 Tim. I, 6-14. 1 Cor. XIII. c. II. integrum, III, 10-17. IIII, 1-8. In primis vero, momente quoque AVGVSTINO in doctrina de christianismo L. IIII. c. 16. epistolas binas ad Timoth. et illam ad Titum datam semper ante oculos habeat, diurnaque et nocturna manu verset, cui est in ecclesia persona ministri imposita. Vide sis quoque CHRISTIANVM KORTHOLTVM in *Pastore suo fideli*, siue de officio ministro-

frorum ecclesiae; et EIVSDEM libellum, qui inscribitur: (*) *Dignitas et onus ministerii ecclesiastici*; item, IOANNEM MICHAEL-LEM LANGIVM in *institutionibus pastoralibus ad institutionum medicarum methodum adornatis*, quippe in quibus principia, causae salutis pariter et interitus animarum humanarum, nec non alimenta et medicamenta vna cum methodis curandi ex sacris scripturis traduntur, et ad methodum medicae legis tractantur.

Cap. I, 4.

Misericordia et pax a Deo patre et Domino Iesu Christo Seruatore nostro.

In hoc commate vsitato voto apostolico additur vox *misericordiae*, quae quia in nulla alia epistola legitur, exceptis illis, ad Timotheum et Titum scriptis, merito Paulus singulari benevolentia motus erga Timotheum et Titum, prae aliis hominibus, viris his in munere ecclesiae constitutis misericordiam diuinam esse adprecarus creditur.

APHORISMVS IIII.

Qui curam pastorem suscipit,
habeat persuasissimum, se indigere
prae

(*) *Die Würde und Bürde des Predigtamts.*

prae aliis hominibus (*) misericordia diuina, cum ob grauitatem muneris ac rerum quotidie agendarum, vt, quae facile minus recte aut remissius fiunt, a Deo condonentur; tum ob multitudinem negotiorum sibi mandatorum, vt ne Deus ob praetermissionem officiorum se in ius vocet.

Quod 1) ad magnitudinem seu grauitatem muneris humeris ministrorum ecclesiae iniuncti attinet, res probatione non indiget. Opera enim ipsorum in rebus spiritualibus, coelestibus, diuinis, ad animas hominum seruandas pertinentibus occupatur.

2) Multitudo autem negotiorum, quae obruit ministros ecclesiae (multae nim sunt, quae licet ab hominibus non iniuncta, officium tamen Christo debitum ab illis exigit) tanta est, vt nunquam satis, quae fieri debent, praestari queant. Non immerito enim *ψευδης* aliquis in negligenti procuracione muneris ecclesiastici iudicatur, si existimet, non alia a sese postulari, quam ea, quae ad externa officii munerera pertinent. Falletur ergo v. g. qui
satis

(*) Conf. CHRYSOSTOMVS in homil. I. in 1 epist. ad Timoth.

fatisfecisse se officio sibi persuader, si singulis hebdomadibus orationes consuetas in concione populi habeat, et de reliquo nemini ex coeru suo neget, si quis opera sua aliis quoque in rebus uti velit. Ego quidem, ut sententiam meam aperiam, nunquam dubitavi, quamdiu muneri ecclesiastico praefui, quin pastoris ecclesiae sit, non solum adutorum doctoris, sed etiam certo modo ludimagistri, id est, doctoris tenerae aetatis partes in se suscipere. Forte vero aliquis dixerit, mandatum id esse ludimagistris, ut iuuentuti prima christianae religionis elementa tradant, adeoque videri posse *ἀλλοτριου επισκοπον* illum ecclesiae ministrum, qui velit sibi sumere partes ludimagistri. Verum enim vero, quum pastor operis scholastici rector et moderator sit, cauere quouis modo debet, ne illi defint officio suo. Fac autem, illos parum operae in tantam rem conferre, id quod haud raro usu venire solet: pro amore certe, quo inflammatus esse debet pastor in teneram iuuentutem, non alienum a munere suo aut dignitate existimet, opera sua rimas illas quasi explere. Huc vel in primis pertinent catechisationes cum tenella iuuentute instituendae, iis non plane exceptis, qui iam aetate sunt prouectiore. Iam vero, quot quaeso inuenies scholarum magistros, qui ad exercitatio-

raciones catecheticas cum fructu aliquo suscipiendas satis apti sint atque idonei? Raro sane totum hoc negotium solis ludimagistris dari potest. Adde, si quis existimet, officio ministri ecclesiae satis fieri, si publice modo orationes sacrae ad populum habeantur: faller is certe ac fallerur. Eam enim minister ecclesiae ipse sibi dicat legem, necesse est, ut data quavis occasione priuata colloquia cum illis, qui fidei suae ac curae pastorali sunt commissi, instituat. Dicit enim non potest, quantum nonnunquam emolumentum ex iis redundet in gloriae diuini numinis, salutisque hominum amplificationem. Hac enim ratione peccatores, de peccatis suis humaniter ac peramanter admoniti, aculeis quasi infixis exstimulabuntur, ut in se descendant, et a vitiorum deuiis reuocati in rectum virtutis tramitem deducantur. Ii vero, qui a verae pietatis studio non alieni sunt, in proposito et fide mirum quantum confirmabuntur, et quae sunt reliqua. Tanta ergo negotiorum multitudine vrgentur seduli omnesque partes officii sui implaturi verbi diuini ministri, ut omnino habeant, quod cum VSSERIO, lecto fatali adfixo animamque fere agente exclament: *Domine condona mihi peccata omissionis.* Haec ergo qui secum recte perpendet, mirari desinet, cur *misericordiam* adpre-

adprecatus fuerit Paulus Timotheo atque Tiro prae reliquis hominibus.

Licet praeterea ita argumentari : Si, *qui bene praesunt muneri Presbyteri, duplici honore digni sunt habendi, maxime qui elaborant in sermone et doctrina*, 1 Tim. V, 17. quidni Deus, Pater omnis benignitatis, pro immensa sua misericordia, duplicem misericordiam impertiat eis, qui omnibus viribus ab eo datis, ad seruandas animas sibi commissas id agunt, omnibusque precibus eo nituntur, ut in dies adcuratius, fidelius, maiorique alacritate ac prudentia munus sibi demandatum praestent. Conf. 1 Petr. I, 2. 2 Tim. I, 2. 1 Tim. I, 12. 19. III, 10-16. VI, 16. 2 Tim. II, 1-21. III, 1-18. 1 Cor. III. 2 Cor. I, 3. III, 7-18. III. V. XI, 30-33. XII, 9. 10. Consideremus etiam conditionem seruorum Dei et Prophetarum in V. Testamento, Iesaiæ, Ieremiae, Ezechielis, videamusque, quantopere misericordia Dei indiguerint, Hebr. XI, 36. 37. 38. Addatur etiam et inprimis Hebr. XII, 2. seqq. Conferantur denique eandem in rem SPENERI *Consilia Theologica germanice* Tomis III. edita, nec non EIVSDEM *Consilia et iudicia Theologica latina, et Pia desideria.*

Cap.

Cap. I, 5.

*Cuius rei gratia reliqui te in Creta,
ut, quae reliqua sunt, corrigas, et consti-
tuas oppidatim presbyteros, sicut ego ti-
bi iniunxi.*

APHORISMVS V.

Fidelis serui Dei est, et praestare,
quantum beneficio diuinae indulgen-
tiae praestari potest; et agnoscere ta-
men, quantum desit, quod opera sua
nondum correctum sit, quodque aliis
corrigen- dum relinqui debeat a);
συνεργῆς, siue adiutores haud grauate
adsciscere b); non inuidere successo-
ri, vt fundamento iacto optima quae-
que superstruat c); non relinquere
temere coeptum opus, sed, vt perfici-
atur, et omnia, quae desunt, cor-
rigantur, eniti, adsumtis, si fieri potest,
fidelibus curarum sociis d); constitu-
tum ab Apostolis exemplum adcura-
tissime sequi e); vt fert voluntas Dei,
aut vno in loco permanere, aut, ia-
cto fundamento, locum mutare, ita
tamen, vt sollicitate caueatur, ne, quod
Fr. Obs. Past. P. II. Nr. par-

supil

partum est semel, incuria sua perdatur f).

a) Idem deprehendimus in Paulo, qui, licet apud Cretenfes genuini serui et Apostoli Iesu Christi partes impleuisset; non tamen ignominiae sibi esse censuit, fateri, quam plurima supereffe; (λείποντα,) quae ipse corrigere opera sua non potuerit. Ex quo conficitur, cui libet, qui aliquando munus pastorale suscipit, id curae esse debere, vt, quantum praestare potest, opitulante gratia diuina praestet. Equidem multi sunt ecclesiarum ministri, vel potius mercenarii, quibus pro supina sua inertia adeo non curae cordique est muneris sui sacri legitima procuratio, singularisque animarum tractatio, vt potius statuant, successoribus etiam corrigendum quiddam esse relinquendum. Quae peruersissima persuasio quam maxime reprehendenda est. Quod si enim vitae bene actae recordatio optimum solatium est: quantos conscientiae malae cruciatus illos aliquando sensuros esse putamus, qui, monitore illo domestico et interno audacter repudiato, ipsum Dominum aliquando seuerissimum iudicem experientur? Praestanda ergo sunt, quae, diuini numinis gratia atque fauore adiuti, praestare possumus. Quid? quod etiam vitia adhuc reliqua

liqua agnoscenda sunt. Fac enim, verbi diuini ministrum ad muneris sui procuracionem omnes cogitationes suas omniaque studia conferre: in dies tamen magis fentiet, gregem, fidei suae commissum, multis variisque morbis ita laborare, vt prorsus nunquam non habeat, quod eum moneat, hortetur, incitet, doceat, voto, voce, vita, publice et priuatim.

b) Paulus sane sibi Titum apud Cretenfes suffecerat, quo, quae vitiosa adhuc essent, ipse corrigeret: quibus verbis ipsum officii sui etiam atque etiam moneri voluit. Idem momentum matura cogitatione perpendendum est. Fieri enim potest, vt aliquis verbi diuini minister in tanta se muneris amplitudine constitutum videat, vt nulla ratione solus partes suas peragere possit. Is sibi certe turpissimam arrogantiae auaritiaeque notam inureret, nisi passurus esset, adiungi sibi collegam, cum quo dispertitum habere debeat officium.

c) Apud Cretenfes Paulus a primo instituerat opus, fundamento quasi posito, nonnullisque ad credendum adductis. Iam ergo de prouincia decedens Titum sibi successorem constituit, eo consilio, vt fundamento a se iacto meliora superstrueret, vitiaque residua emendaret. In eo autem Paulus exemplar se proponit cunctis

Xr 2

fide-

fidelibus Dei seruis, ne forte inuidia concitentur, si, a successoribus meliora iacto ab ipsis fundamento superstrui, animaduertant: Fruantur potius gratia diuina, qua ipsis contigit, fundamenta ponere, et opus Domini instituere. Inuidia enim est certissimum signum infidelis ministri ac mercenarii, non Iesu Christo, sed suae vtilitati et dignitati seruientis.

d) Etiam hoc exemplo suo comprobabat Paulus. Licet enim nulli labori pepercisset, et omnia tenasset, quae ad seruandas animas Cretenesium spectare videbantur; coeptum tamen opus propter muneris Apostolici rationem, quae alio eum ducere videbatur, minime reliquit, nec aliis illius absolutionem inuidit, sed potius ante decessum adiutorem fidelem circumspexit. Quum vero satis exploratum haberet, ne vnus quidem operam suffecturam ad corrigenda ea, quae praua adhuc erant; mandabat Tito, vt constitueret oppidatim Presbyteros, *κατὰ πόλιν*, quantum nimirum posceret ipsa rei necessitas.

e) Non sine ratione hoc in commate Apostolus adiicit: *sicut ego tibi praecepi*; quippe quod non pertinet tantummodo ad praeceptum, quod ei dedit de constituendis presbyteris, sed etiam ad rei modum, quem Apostolus praescripserat, et
iam

iam denuo praescribere in animo habebat, et quem Titus in constituendis presbyteris debebat sequi. Cum praecepto enim Apostoli: *Sicut ego tibi mandavi*, sequentia arctissime cohaerent: *Si quis est inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles, non luxuriosos, non contumaces cet.* Ex eo ergo, praescriptum apostolorum seruandum et exemplum eorum adcuratissime sequendum esse, concludimus. Si enim aliquis esse genuinus successor seruorum Dei, ab ipso Christo constitutorum in eodem ministerio et officio, quod spectat ad lucrandas hominum animas, videri velit: certe is etiam se adplicet necesse est ad eadem subeunda munera, quae legati Christi genuinis successoribus iniunxerunt.

f) Ratio muneris Apostolici ita comparata erat, vt, iacto aliquo in loco fundamento, ad alios pergendum esset coetus, quo et ibi ad amplectendas veritates caelestes inuitarentur et allicerentur. Titus vero a Deo quidem, Pauli tamen interuentu constitutus, a Paulo iubebatur permanere in Creta, quo, quae deerant, expleret, et constitueret oppidatim presbyteros. Adeoque pro diuersa vocationis ratione Paulo ad alia atque alia loca pergendum, Tito vero in eodem loco diutius permanendum erat.

¶ r 3

Non

Non ergo est, quod probro sibi ducant ecclesiae ministri, si in eodem semper loco haereant, putantes, repugnare illud cum Apostolorum exemplo, qui, fundamento iacto in loco aliquo, perrexerint ad loca etiam alia, tum exemplo Christi, qui regnum Dei adnunciaturus se minime certo aliquo loco tenuerit, sed potius peragravit vniuersam Palaestinam. Verum hoc omnes sic habere debent, vocationem Christi et Apostolorum, ad munus suum obeundum, fuisse hac in parte diuersissimam a vocatione ministrorum ecclesiae ordinaria. Christus enim discrete mandatis suis cauerat, vt apostoli peragrarent terrarum orbem vniuersum, et eu angelium adnunciarent. Ipsi vero Apostoli, quod ex hoc loco videmus, illud sibi neutiquam sumebant, vt idem aliis praescriberent, sed relinquebant potius, iacto fundamento, in singulis vrbibus ac provinciis, in quibus condiderant ecclesias, viros Apostolicos, quibus praecipere solebant, vt constituerent oppidatim presbyteros, quorum labor cancellis certi alicuius hominum coetus circumscriptus esset, vsque adeo, vt ipsis non integrum esset, arbitrato suo peregrinari, sed vt muneris sibi demandati rationem haberent. Eodem vero modo comparata est ratio horum aegnorum ecclesiae ministrorum, ad munus

nus aliquod certum obeundum electorum; quippe qui religioni sibi ducant, arrogare sibi, quod fuit Apostolorum, aut temere hanc in partem eorum facta imitari. Quod si vero contingat, ut, mysteriorum diuinorum dispensator deponat certo in loco officium suum, ac muneri sacro alibi praeponi se patiatur: adeo non eiusmodi vocatio verbo Dei contraria censenda est, ut potius interdum maximopere expediat, si quis, fundamento in vno aliquo loco iacto, accedente modo legitima vocatione, locum mutet. Quod vero minime eo debet trahi, ut quis sibi licere putet, adspirare ad sacerdotia quaestuosiora, quo eo melius rationibus suis reique familiari consulere queat; ab omni enim auri honorisque cupiditate animus eius nunquam non remotissimus esse debet.

Quod reliquum est, pluribus hac de re legi possunt, ERASMI ROTERODAMI *Ecclesiastes*, STEPHANI GAUSSENI dissertatio *de ratione concionandi*; et alia *de recto vsu clauium*; denique D. BREITHAVPTI *Institutio hermeneutica et homiletica Augustiniana*, h. e. de verbo Dei recte interpretando et concionando, ex AVGVSTINO de doctrina Christiana conquisita, illustrata, atque ad vsum accommodata.

Cap. I, 6. 7.

Si quis est inculpatus, vnus vxoris vir, liberos habens fideles, non luxuriae deditos, qui non sint contumaces. Oportet enim Episcopum inculpatum esse tanquam Dei dispensatorem.

APHORISMVS VI.

Quorum est constituere Presbyteros, haud alios constituant, nisi quos explorate cognouerint esse inculpatos). Cui autem iniunctum fuerit presbyteri munus, is, eo quod oporteat presbyterum inculpatum esse, pro modestia animi, quae ipsi inest, et ex qua talem se ipsum iudicare non facile ausit, non aliam ob causam id in se suscipiat, nisi quod voluntati diuinae, et vocationi internae externaque repugnare et reluctari salua religione et officio non potuerit b).

a) *Inculpatus* ille intelligitur, qui honestate non tantum naturali praeditus, sed gratiae diuinae donis in poenitentiae ac fidei via instructus, in conspectu Dei versatur, seu in veritate, quae in Iesu Christo est, ambulat, vt vita eius a primo conuersio-

uersionis tempore, ob constantem prohibitatis tenorem, inculcata fuisse dici possit. Non ergo *βεόφυτον* esse decet, qui muneri sacro praefici annitur, 1 Tim. III, 6. propterea quod nondum inculpatus censendus est, qui nuper admodum ex securitatis, voluptatis, amoris mundi et vanitatum fomno excitatus est, atque ita, abiecta inueterata peccandi libidine, ad sanio rem mentem rediit.

Ad ipsam vocem *βεόφυτος* quod attinet, Paulus respexisse videtur ad Leuit. XVIII, 23. seqq. Quemadmodum enim Israelitico populo fructus, quos arbores recens fatae extulerant, quinto demum anno colligere integrum erat: ita doctorem in ecclesia publicum, qui arboris in atriis sacris similis est, non decet, in horto Dei recens quasi satum esse, sed confirmata prudentia sapientiaque praeditus sit, necesse est. Quod si enim quis non ita multo ante ad Deum conuersus est, quam munus sacrum subit, ipse se quidem excitabit et extimulabit ad partes sibi datas rite peragendas: verum tempore procedente studio alios conuertendi praepostero elatus satis proder, non esse in se illam animi lenitatem amoremque omnes completentem, qui doctorem ecclesiae maxime decet. Inculpatus ergo atque constanti verae pietatis tenore probatus sit, quo
 Nr 5 nec

nec alii habeant, quod iure ipsi exprobrent. Nec vero tantum omni tali vitio presbyter carere debet, sed contrariarum etiam virtutum habitu eum praeditum esse oportet, ne cursus euangelii impediatur, aut infirmi offendantur, sed ut potius exemplo ipsius edocti, quomodo in Dei domo versandum sit, intelligant. Quae causa est, quamobrem legatus ille Christi, Paulus 2 Tim. III, 17. perfectionem aliquam Christianam ab homine Dei requirit, dum illum ad omnem rem bonam perfecte instructum cupit. Id quod etiam Tito iniungit, monens, ut eos oppidatim constitueret ecclesiae ministros, quorum prae reliquis vitae morumque integritas cognita sit atque perspecta. Equidem ob naevos et imbecillitatem humanam nemo facile a munere ecclesiastico prohibendus est: verum etiam atque etiam videndum est, ne grauia vitia, et peccata voluntaria, quibus Deus violatur, nomine imbecillitatis humanae et paruorum delictorum et errorum, ut haud raro fieri solet, appellentur. Ex hoc vero non conficitur, illos, qui poenitentia atque fide ad sanio-rem mentem rediere, muneri ecclesiastico statim esse praeficiendos. Reperies forte mysteriorum diuinorum dispensatores, qui quidem probi sunt, ac integri, sed tanto oneri ferendo admodum impares:
hi

hi propius ad ouium, quam ad pastorum naturam accedunt. Interim eiusmodi locum occupantes pro saniore, qua praediti sunt, mente impediunt, quo minus lupo oues committantur. Summa ergo disputationis huius eo redit, ut ad munus ecclesiasticum eligendus inculpatus sit, quo detracto, reliqua omnia, ipsa quoque eruditione, supra vulgarem modum solida, non excepta, pro nihilo sunt putanda.

Notatu praeterea digna sunt, quae in eandem hanc sententiam leguntur 1 Tim. III, 1-12. 1 Petr. V, 2. 3. Apoc. II. III. in quo utroque capite, quae de ecclesiarum Angelis commemorantur, matura cogitatione perpendenda sunt. It. Io. XX, 15 seqq. Act. VI, 3 seqq. 1 Cor. VIII, 19. 2 Cor. I, 1-12. 1 Theff. II, 2-12.

Tandem etiam vel imprimis commendamus SPENERVM T. III. Consiliorum Theologicorum pag. 654 seqq. CASPARIS ZIEGLERI tractatum *de clerico veniente*, s. de muneris ecclesiastici fuga. It. IOANNIS SCHMIDII *memorabilia visitationis ecclesiasticae*, Lips. edit. anno 1692.

b) Quae de *vocatione interna* et *externa* cognitu necessaria sunt, apud TARNOVIVM, *de sacro sancto ministerio* libris tribus agentem, inveniuntur. Is vero vir, inter cordatiores Theologos haud vltimus

mus, L. I. c. VII. p. 63. *interiorem vocationem ait esse tractum diuinum, cuius sibi quisque minister coram Deo conscius sit; seu bonum illud cordis testimonium, quod neque ambitione, neque auaritia, neque vlla alia cupiditate, sed sincero Dei timore, et ecclesiae studio murus oblatum receptum fuit.* Nisi ergo haec interna adsit vocatio, externa instar cadaueris est; licet etiam dixeris, te munus tibi iniunctum nec aperte nec occulte ambiisse, nec muneribus patronorum animos tibi deuinxisse, nec te vlla alia ratione insinuasse, sed liberis omnium suffragiis ad illud electum fuisse. Possunt enim alii adesse respectus, v. g. familiae, adfinitatis, et quae sunt eiusdem generis alia, sine quibus forte tui ratio non habita fuisset. Fac ceteroquin, inesse etiam eruditionem solidam, nec vulgarem dicendi facultatem; non tamen munus sacrum temere suscipiendum est, sine vocatione diuina interna, rectaeque conscientiae testimonio, a Spiritu sancto perhibito. Qui enim fieri posset alioquin, vt in statu tentationis, aut si quid durius tibi acciderit, throno maiestatis diuinae aduolutus palam profitearis: Tuum est, o Domine, quod in ecclesia tua munus pastorale sustineo: nisi enim mihi in illo suscipiendo de voluntate tua constitisset, nunquam istud mihi iniungi passus fuisset.

fem. Tu, qui omnia nosti, scis, me hos labores, has molestias salua religione subterfugere non potuisse: Adsis ergo mihi, meque in difficultatibus, quibus iam premor, pro insigni tuo fauore, sustenta. Quaeras etiam forte, quid facto opus sit, si, cum ab hominibus vocatus sis, non accedat vocatio interior, ita vt nullum diuini numinis pulsus interioris sentias? respondeo, ad tranquillandum animum satius esse, te tempori seruientem vocationem externam recusare, quam facere, quod dubites, rectum sit nec ne. Conferatur praeterea CHRISTIANI CHEMNITII breuis institutio futuri ministri publici. It. HARTMANNI pastorale Euangelicum.

Cap. I, 6.

Si quis est vnus vxoris vir, liberos habens fideles, qui liberi sint a turpitudinis opprobrio, nec male morigeri sint cet.

Haec verba aliquanto curatius examinanda sunt ac ponderanda, et imprimis illa, quibus Paulus statuit, presbyterum vnus saltem vxoris virum esse debere. Breuitati vero studentes, ea praelegere placet, quae CASPAR SWEDBERG, Theologus et Episcopus Suecus, differit
in

in disputatione inaugurali, anno 1703 edita, quam inscripsit: *Hominis Christiani, inprimis ministri diuini, requisita in epistola Pauli ad Titum breuiter delineata, vna cum succincta interpretatione.* Verba eius ita se habent p. 6. *Non sit polygamus, qui plures uxores simul habeat; neue temere repudiata uxore, alteram legis indultu Moisaicae ducat, quod vtrumque apud Iudaeos haud infrequens erat. Olim enim, testante Theodoreto, consueuerant et Graeci et Iudaei cum duabus et tribus et pluribus etiam vxoribus simul iungi lege matrimonii. Non vero improbat hic Apostolus in V. D. Ministro vota secunda ac tertia. Ita expresse iam modo laudatus Theodoretus in comment. super h. l. scribit, Apostolum non reiicere secundum matrimonium episcopi: sed eum velle, episcopum eligi, qui pendente ac durante matrimonio, vnius vxoris maritus sit, et qui non Iudaeorum more duas simul habeat uxores. Conf. eundem haer. fab. l. 5. c. 26., vbi ex professo πρὸς δευτέρου γάμου contra Nouatianos agit cet. Unde simul colligere licet, multos, eosque viros graues, non vsque adeo aequos fuisse iis, qui ad secundas conuolarunt nuptias. Hinc tamen et ex aliis compluribus locis et exemplis clare liquet, coniugium sacerdotibus interdictum non esse, et quo censu habenda sit pontificiorum sententia.*

APHORISMVS VII.

Minister Ecclesiae omni ratione sibi caueat, ne vitae conjugalis modo domesticorumque vitiis et impediat fructum curae suae pastoralis, et ineptum se reddat ad eam rite gerendam.

Hoc aphorismo non respicimus tantummodo ad verba illa: *Vnius uxoris vir; sed sequentia etiam: liberos habens fideles, non obnoxios crimini luxus, nec contumaces.* Haec enim verba omnia coniuncta non modo ad coniugium, sed et ipsam curae pastoralis rationem pertinent.

Non possum, quin epistolam aliquam, a quodam ecclesiae pastore nuper admodum ad me scriptam, cum auditoribus communicem, in primis quum rogatus fuero, ut data occasione de rebus notatu maxime dignis diuinarum litterarum cultores commonerem. Eius vero epistolae argumentum latine redditum sic se habet: Ad *ἀτάξια* pastorem pertinet: 1) si quis munere sacro suscepto primo statim tempore nuptias meditatur, totusque deinde ad uxoris voluntatem ac nutum conuertitur. 2) Si quis, contentione animi in obeundo munere remissa, in plura distrahatur et ad
mini-

ministrandae rei familiari vsque adeo deseruit, vt auri sacra fame, ne quidem arare, occare, sementem facere, triturare dubitet. 3) Si quis in vilitate annonae aut mergites in horreum conuectas tribulis exteri non finit, easque muribus exedendas relinquit; aut frumenta extrita in granario condita propter annonae vilitatem vel comprimit, vel vendita inique et iniuste emtori admetitur. 4) Si quis externae eorum, qui mundo dediti sunt, societati et amicitiae incautus implicari se patiat, vt varias probabiles vel potius fictas causas praetendens, ad aliorum arbitrium se formet ac fingat, prorsus vt sermonibus iocosis, saltationibus cet. intersit. 5) Si quis verbi diuini ministrorum, vitae integritate conspicuorum, familiaritatem et consuetudinem fugit, quo minus ipsorum exemplo forte exfuscitetur et exstimuletur. 6) Si quis denique vicinos pastores ecclesiae cordatiores conuenire grauatur, quorum precibus suas iungat, animique sui, muneris, vniuersaeque christianae reipublicae rationes Deo commendet, et hac ratione e naturali suo torpore excitetur. Haec fere ea sunt, de quibus laudatus epistolae huius auctor Theologiae Studiosos etiam atque etiam monitos voluit.

Neminem vero putare oportet, omnia in medium prolata iam fuisse impedimenta,

ta,

ta, quibus implicari minus cauti solent: tanta enim est illorum varietas ac multitudo, verendum ut sit, ne in iis enumerandis tempus nos deficiat. Vtinam autem, quod silentio praeterire nequeo, deessent exempla eorum, qui eam ipsam ob causam honores sacros avidissime ambiunt, quod iam ab annis vel scholasticis vel academicis virgines habeant desponsas. Non diffiteor, me nihil fere peius odisse, quam si litterarum diuinarum cultor, vel in academia vel aliis in locis iuuentutis instituentiae causa versans, nimis amice cum sexu sequiore viuit, tandemque irretiri se patitur, ut virgini fidem der conjugalem. Certe eiusmodi homo mulierosus ipse infortunii sui faber est. Nec est, quod virginem, a vera pietate haud abhorrentem, ita animo emendari posse caufferis: quid enim, si postea spes te fallat, ac tibi iam nupta arrogantiam sibiumat, vestiumque pretiosarum, pecuniae, aliarumque rerum cupiditatibus se dedat; si ipsius vniuersa viuendi ratio vsque adeo praua sit, ut ab omnibus pessime audiat? In quem vero, quaeso, omnem culpam conferri necesse est, nisi in ipsum virum, qui in re tanta tamque ardua non melius sibi prospexit? Quo denique paucis rem omnem complectar, religio sit Theologiae Studioso, et conditiones vxorias prius circum-

Fr. Obs. Past. P. II. § spice-

spicere, quam munus sacrum susceperit; et uxorem ducere, de cuius vitae morumque integritate ipsi non constet. Non enim tantum sacrorum ministrum, sed et eius uxorem aliis exemplo esse decet. Confer etiam TARNOVII tres libros *de sacro sancto ministerio*.

Cap. I, 7. 8.

Oportet enim episcopum esse inculpatum, tanquam dispensatorem Dei; non pertinacem, non sibi ipsi placentem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpem quaestum facientem: Sed hospitalem, bonorum amantem, moderatum, iustum, pium, continentem.

APHORISMVS VIII.

Sunt certa vitia, quae cum omnibus hominibus christianis sunt turpia, tum ministro verbi diuini sunt foedissima: et sunt certae virtutes, quae ab omnibus quidem christianis, at praecipue a sacri ordinis viris requiruntur.

Pertinet huc dictum illud Seruatoris optimi, quod legitur Matth. V, 13. 14. *Vos estis sal terrae cet. vos estis lux mundi.* Ex

non.

nonnullorum sententia Christus verba ibi facit ad discipulos suos, in vniuersum terrarum orbem dimittendos ad docendum alios. Licet vero negari nequeat, ea, quae capitibus illis V. VI et VII. continentur, pertinere ad quoscunque christianos: adfert tamen haec ipsa consideratio insignem vtilitatem, quam et adcuratiores interpretes subinde vrgent, et eius ope in nonnullis planiorem faciunt Seruatoris sententiam. E.g. quando Matth. VI, 33. dicitur: *Quaerite primum regnum Dei et eius iustitiam, et reliqua omnia adiicientur vobis*: negari quidem non potest, dictum hoc pertinere ad omnes omnino christianos; potest tamen proxime ad discipulos tunc temporis futuros Christi legatos, ad omnes populos mittendos, eam in sententiam accommodari: *Quaerite*, o discipuli, vt non tantum in vobis constituatur *regnum Dei*, ac vos consequamini *iustitiam eius*; sed insuper id agite, vt regnum Dei, ad quod constituendum ego a patre missus fui, per vos constituatur, amplietur, et vt iustitia Dei, quae in primis tempore N. Testamenti innouescere omnibus debet, in vniuerso terrarum orbe agnoscatur et apprehendatur. Hoc in studio si omnes curas vestras posueritis, *futurum omnino est, vt reliqua omnia*, quae vobis ad vitam sustentandam necessaria fuerint, a Deo vo-

bis conferantur. Certe, si dicti illius sententiam hanc esse statuamus, longe plura illud complectetur, quam si nude adcommodetur ad cuiuslibet christiani statum. Verum si quis velit dicta eo trahere, ut, quae in hoc capite exponuntur, referenda neget ac perneget ad alios, nisi ad apostolos; vel saltem illa aliis non aequae ferio praecipere, atque apostolis, opinetur: is oppido falleretur et falleret alios. Pro certo ergo habendum est, Seruatorem optimum proxime quidem haec futuris suis legatis, simul tamen omnibus, nomen suum ferentibus, praescripsisse.

Quod ad verba attinet: *Vos estis sal terrae; vos estis lux mundi*: certo certius est, habere illa maiorem vim, si intelligantur de episcopis, de presbyteris, ac generatim de mysteriorum diuinorum dispensatoribus. Nec desunt, qui in primis illa verba: *Vos estis lux mundi*, a ratione et positione domiciliorum Leuitarum in V. Testamento translata putent. Ex descriptione Palaestinae scilicet constat, Leuitis habitanda data esse loca montana, minori negotio a reliquis incolis Palaestinae conspicienda. Christum itaque, ad illa adludentem, non modo discipulos suos, futuros apostolos, *lucem mundi*, appellasse arbitrantur, sed eos etiam comparasse *vrbi, sitae in monte aliquo*, quam nemo non
e lon-

e longinquo contemplari facile possit. Quae sententia tamen magis illorum interpretum ingenium declarare, quam firmo satis fundamento niti viderur. Quemlibet enim christianum salem terrae, lucemque mundi esse oportet ad exemplum Seruatoris consummatissimum Io. VIII, 12. Interim si etiam probetur dicta interpretatio, praecipue eam ob causam, quod Christus, verba ad discipulos suos faciens, illis similitudinibus usus sit: conficietur ex eo certissime, inter quoscunque alios christianos verbi diuini ministros virtutibus elucere et eminere debere, eam ipsam ob causam, quod sint *lux mundi*, et *sal terrae*, quo condiri reliqua et a putredine spirituali integra seruari possint.

Omnino autem obseruandum nobis est, Paulum non tantum vitia, turpissimas illas verbi diuini ministrorum maculas, sed et virtutes, praestantissima ipsorum ornamenta enumerare; nec eas tamen omnes, sed illas imprimis, quae ita comparatae sunt, vt operarium, opus Domini facientem, maxime deceant. Accedit, quod idem Apostolus, 1 Tim. III. vitia, virtutesque commemorat, ab iis non nihil diuersas, quarum mentionem facit in data ad Titum epistola. Cuius rei ratio in huius epistolae partibus consequentibus red-
ditur. Cognita scilicet atque perspecta

erant Paulo vitia Cretenſium maxime propria. Cauere itaque voluit, ne ipſorum ſacris praefecti in eadem abripi ſe paterentur deuia, ſed vt potius virtutibus, vitiis illis contrariis, eo maiorem operam darent, quo auditores fidei ſuae commiſſos eo feliciter ab animi ſui prauitate deducere poſſent. Sic e. g. requirit Apoſtolus in epiſcopo Cretenſi, *vt ſit tenax fidelis illius ſermonis, qui ad doctrinam facit, quo etiam exhortari per doctrinam ſanam et contradicentes conuincere poſſit.*

Iam huius neceſſariae virtutis rationem redditurus, addit: *Sunt enim multi contumaces et vaniloqui cet.* Si hac ratione in interiora orationis Paulinae penetramus, multo ampliorem nobis apertum videmus campum, quam ſi in nuda vocum interpretatione critica commoremur. Ad hanc vero normam exigenda quoque ſunt reliqua. E. g. ſi legimus, epiſcopum abhorreſcere debere a peſtilentiſſimo illo *aviditatis* vitio, merito quaerimus, quamnam ob cauſſam tam grauiter hac de re praecipitur? Reſpondet vero Apoſtolus v. 10. *Sunt enim, inquit, multi vaniloqui et corruptores, maxime ii, qui ſunt e circumciſione, qui totas domos perturbant.* Quum ergo eius furfuris homines tantam perniciem eccleſiae attulerint, omnibus viribus id Apoſtolus agit, vt fa-
cro-

crorum apud Cretenses antistites exhortetur, ne iisdem vitiis, ex impurissimo *αιθα-
δεας* fonte profluentibus, se inquinent. It.
si legimus, episcopum apud Cretenses ex-
tiosissimo vinolentiae vitio carere debere,
respexit sine dubio Paulus naturam illius
Insulae, in qua largissimus vini generosis-
simi prouentus erat, moresque gentis il-
lius ob crebriorem vinolentiam maxime
deprauatos. Ne ergo et sacrorum antistites
in eiusmodi vitium delaberentur, da-
tum id sibi Apostolus credidit, vt ab illo
quemque serio deterreret.

Quod reliquum est, conferri meren-
tur CONRADI PORTAE *Pastorale* LV-
THERI, et ARNOLDI MENGERIN-
GII, apud Hallenses quondam sacrorum
antistitis, *Scrutinium conscientiae*.

Cap. I, 9.

*Oportet episcopum esse tenacem fide-
lis illius sermonis, qui ad doctrinam fa-
cit, vt possit etiam exhortari per doctri-
nam sanam, et contradicentes refel-
lere.*

APHORISMVS VIII.

Licet primo loco requiratur a mi-
nistro verbi, vt sit inculpatus, i. e. ita
§ 4 animo

animo vitæque constitutus, ut omnibus exemplo esse possit: at tamen præterea explorare debet habere cognitam doctrinam christianismi, et vna cum scientia habere facultatem non modo dicendi et adhortandi alios, sed etiam contradicentes coarguendi.

Ea, quæ verbis apostoli et aphorismo inde ducto continentur, videntur quidem tanta esse simplicitate et perspicuitate, ut nulla indigeant vberiori explicatione: Verum ea est verbi diuini natura et ratio, ut simplicitas minime officiat sapientiæ, nec sapientiæ diuina simplicitatem eius tollat. Lectorum vero scriptorum sacrorum ea plerumque solet esse conditio, ut in eam præiudicatas suas opiniones inferant. Ex quo fit, ut sententiam sacrorum auctorum non ex ipsorum voluntate, sed ex sua opinione spectent et interpretentur. Quod generatim dicimus, summo iure etiam ad comma hoc transferimus. Simplicissima sunt verba, quibus Apostolus vitur: illi autem verborum simplicitati summa inest sapientiæ. Ideoque etiam hic verissime comprobatur, nec simplicitatem sapientiæ, nec sapientiæ verborum simplicitati officere. Sed ut ad institutum accedamus, obseruare licet, pletos-

rosque hanc orationem apostoli eo trahe-
 re, quo ipsis expedir, ac sibi persuadere,
 apostolum agere de artium humanarum
 studiis. Inde fit, vt, quando vident, hoc
 loco apostolum mentionem facere *doctri-
 nae*, statim ipsis occurrat illa notio, quam
 animo comprehensam habent de *eruditio-
 ne*, quae vocatur *theologica*. It. Quando
 mentio fit *exhortationis in sana doctrina*,
 statim cogitant de illa κατ' ἐξοχήν dicta ad-
 hortatione qua ad tenendam veram de hac
 vel illa re sententiam impellimur: cum ta-
 men haec omnia angustiora sint, quam vt
 illis vis sententiae et orationis apostolicae
 definiatur. De elencho denique facile
 animo concipitur eiusmodi notio studii po-
 lemicum, quale forte hodie in Academiis vi-
 get: quum tamen, re pro illius grauitate
 recte expensa, sole meridiano clarius sit,
 Apostolum multo meliora, praestantiora,
 sublimiora, sapientiora in animo habuisse,
 quam eiusmodi angustas notiones, quas
 forte diuiniioribus litteris operam dantes
 verbis ipsius subiiciunt, quibus virtutes
 ministrorum ecclesiae explicare adlabora-
 uit cet. Quo vero ea, quae diximus, no-
 bis eo adcuratius consent, notemus pri-
 mo, omnino Paulum et h. l. et i Tim. III.
 praecipue a verbi diuini praeconibus re-
 quirere, vt sint ἀνεγκλητοι inculpati; et se-
 cundo, demum loco deponere ea, quae ad

doctrinam pertinent. Voluit igitur, eligendos ministros ad munus ecclesiasticum, ab impia peccandi consuetudine omnibusque vitiis recessisse, contra vero in eis inesse debere τὴν δύναμιν, virtutem regni Dei. Ex quibus obseruatis facile patet, fieri posse, vt qui ab hominibus forte ob exquisitam doctrinam disputandi subtilitatem singularemque plane litterarum orientalium, historiaeque sacrae (et quae sunt huius generis alia) cognitionem dignissimi censeantur munere ecclesiastico, ex iudicio quidem Spiritus sancti eo indignissimi, et vt in prouerbio est, ad haram sint aptiores, quam ad aram. Fac enim, percepisse aliquem doctrinam rerum humanarum amplissimam, habere libros optimos, omnem denique omnium artium instrumenta et suppellectilem: infernae certe potestates omnem hunc apparatus adeo non perhorrescent, vt potius superbe irrideant. Quanto ergo interuallo caelum distat a terra, tanto quoque distat vera δύναμις regni Dei ab eruditione qualibet humana; licet ea versetur in materia diuina, in veritate scilicet diuina atque coelesti. Accidere vero etiam solet, vt quos ob eruditionis mediocritatem nemo facile dignos putarit nomine eruditorum; pro vsu tamen, quem habent, rerum diuinarum interno, multo plus conferant ad salutem
 ani-

animarum pariendam et tuendam, quam viri doctrinae et eruditionis laudem maxime conspicui. Id quod rectissime animaduertit B. SPENERVS in historia Reformationis. Illo enim tempore ob miram hominum litteratorum paucitatem, muneribus ecclesiasticis fuere praepositi opifices, de quorum vitae sanctitate constabat, quod diebus Deo sacris populo *Postillam*, ut vulgo dici solet, publice praelegerent. Factum autem inde est, ut illi opifices, haud raro veram christianismi curam gerentes, in ipso reformationis negotio et in pascendo grege sibi commisso plus praestiterint, quam multi alii litterati et eruditi. Nec mirum; dici enim non potest, quantos sibi docti ex academicae eruditionis apparatu spiritus sumant, quantamque arrogantiam, usque adeo, ut se rem omnem christianam sustinere videri velint: in quo vero mirum quantum falluntur. Nonnunquam enim illitterati adeo cognitam habent atque perspectam regni Dei in iustitia, pace atque gaudio in Spiritu Sancto positi naturam, ut, si ipsis cum viro doctrinae et eruditionis laudem maxime conspicuo colloquendi copia fiat, facile sentiant, ipsum in veritatibus coelestibus, ad usum pertinentibus, talpa caecio rem esse. Rectissime ergo ex eo etiam conficitur, statum animi et vitae ante omnia ministri

rii candidatorum exquirendum esse, nec illi examini palmario horas aliquot sufficere, sed *δογμασία* multo accuratiore opus esse, ne ex neglectu tantae rei periculossima mala ecclesiae oriantur. Absurda ergo atque nefaria prorsus consuetudo est, si ministerii candidati alicuius progressus, quos in scientia theologica fecit, a Consistorio sacro explorantur, nulla habita affectionis animi ratione, nec eo exquisito, vtrum labes et vulnera conscientiae in animo habeat, an vas purum sit et quasi instrumentum, quo ad res sacras, et ad augendam gloriam diuinam hominumque salutem curandam ecclesia vti queat. Qua enim, quaeso, ratione, qui ipse nondum ab impura ista, Deoque iuuifa maxime viuendi consuetudine, inueterataque peccandi lubricitate recessit, aliorum et nonnunquam plurium millium hominum salutem sibi commendatam habere poterit? Certe eiusmodi peruerfissima agendi ratio nefariam a prisca illa Apostolica fide defectionem declarat. Olim non erat sic. Conf. 1 Tim. III, 7. vbi Paulus vel inprimis requirit, vt sacro qui praefici adniritur muneris, *ab exteris bene audiat, ne in reprehensionem opprobrii incidat et laqueum diaboli*. Ergo eius vitae innocentia vel ethnicis cognita esse debebat, acque atque id apud nos in oculis Iudaeorum viuentes fieri debet,

bet, qui acerrimi ministrorum verbi diuini censores sunt, quid quisque in se admittat et quomodo viuat, adcurate animaduertentes. Commate vero 10. Paulus eundem *prius experimentis inspicere iubet, qui diaconi munere fungi velit*, quo et de eius vitae integritate constet. Quod si vero ab externo illo negotio, cuius Act. VI, 2 seq. mentio fit, prohibebantur, qui ab ethnicis male audiebant: quid tandem de iis statuendum erit, qui aliis pro muneris facri, quod ambiunt, ratione, viam ad aeternam salutem consequendam commonstrare debent? Atque hoc sibi notent praesules senatoresque ecclesiastici, ne Apostoli monito illi grauissimo minus parentes manus alicui cito imponant, semet ipsos pueros seruantes. Patet hinc insuper, non sufficere, si non grauiora ministerii sacri candidatis exprobari possint crimina; sed eos virtutibus vitiis contrariis, et fuscis ab Apostolo expositis praeditos esse oportere. Ad scientiam vero theologicam futuri ecclesiae ministri quod attinet, illam certe Spiritus sanctus longe aliter describit, quam nostra inprimis aetate fieri solet. Non quidem negari potest, linguas aequae ac Philosophiam ad temporis nostri, quo viuimus, rationem vtilitates haud vulgares praebere: verum illa non ad muneris sacri interiorum naturam pertinent, quae potius

potius ponenda est in viua coelestium veritatum cognitione, ad quas mortalium mentes, peccatorum labe infectae, formandae sunt, quo poenitentiae ac fidei via e miserima feruitute erepti, in veram illam libertatem vindicari, arctissimeque cum Deo coniungi queant. De reliquo linguae non temere sunt negligendae, nec Philosophiae laus omnis detrahenda: ancillae quasi sunt, quae omnino Theologiae ministrare possunt. Conf. SECKENDORFFII *status Christianismi*.

Cap. I, 10--14.

Sunt enim multi etiam non morigeri, vaniloqui et corruptores, maxime qui de circumcisione sunt; quos oportet redargui: qui uniuersas domus euertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae belluae, ventres inertes. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos grauiter, ut sani sint in fide, non attendentes iudaicis fabulis et institutis hominum, aspernantium veritatem.

APHORISMVS X.

A suscipiendo munere ecclesiastico deterrere neminem debet malitia et pueritas hominum, inter quos illud praestandum est. Opus autem est confirmata sapientia, veritatis diuinae cognitione adcurata, animo imperterritito ac vigilantissimo: cum, vt ne hominum litigiosorum criminatio- nibus latus apertum praebetur, tum, vt corruptores accurate redarguantur, et in errorem inducti in rectam viam reducantur.

Quam plurima certe Aphorismus hic continet, quae attentionem singularem merentur.

Et *primo* quidem videmus, quam fortunam Paulus Cretae in functione officii Apostolici sit expertus. Licet enim euangelium Iesu Christi purissime hominibus adnunciaret: impedire tamen non potuit, quin sanior illa doctrina perniciosissimorum errorum veneno a vaniloquis et corruptoribus imbueretur.

1) Hoc solatio, misero licet, corda-
rioribus ecclesiae ministris sit, si cogantur
et ipsi cum hac querela aliquando suppli-
ces ad Dominum accedere: *Domine*, in-
quientes, *nonne bonum semen sparsisti in tuo*
agro?

agro? unde ergo habet herbas noxias?
 Matth. XIII, 27. Talia praecepta Theologiae studiosis nonnunquam otiosa videntur esse; sed eius generis monitorum meminisse aliquando iuuabit. Quamdiu enim onera, quae muneri sacro quasi innexa sunt, non premunt proprium pectus: illa etiam solatia, quae suppeditat verbum Apostolicum, non satis capiuntur et intelliguntur. Vbi vero demum accesserit usus, et ipsa re onus illud ministerii ecclesiastici, vel angelicis humeris tremendum, sentiat: statim gustabitur etiam solatium illud efficacissimum, quod scriptis Apostolicis suggeritur. Vere enim hoc dici potest: Licet aliquis maxima industria versetur in scriptis Apostolicis, eaque nocturna diurna manu verset, multaque praeclara praecepta ex illis ducat: nihilominus tamen, quae sapientia fuerit in animis Apostolorum, quo spiritu illi capeffentes stationem Apostolicam, res sacras administauerint, qua circumspeditione vsi sint, qua fortitudine fuerint praediti omnibus in causis; non facile aliquis intellexerit, nisi rerum vsus accesserit. Haec nunc consulto moneo. Scio enim, certissime futurum esse, ut aliquando illi, qui hoc ex me audiunt, in vsu rebusque ipsis versantes, talia monita cum fructu secum recordentur, et cum eo maiori solatio, quo
 magis

magis tunc intelligent, se hoc tempore, ubi haec audierunt, non satis omnia ponderasse, non satis perspexisse, eo quod non ipso rerum usu docti fuerint.

2) Deinde, hoc exemplo efficacissime redarguuntur illi, qui, quamprimum in illis locis mala multa observant et errores, in quibus fideles verbi diuini ministri animarum curam gerunt; statim in ipsos doctores culpam transferunt, quum interim ipsi in maximis erroribus versentur. Verissime enim dici potest, ubi pessimi sunt ministri ecclesiae, ibi minime omnium intelligi corruptelas doctrinae. Testatur hoc omnis historia ecclesiastica. Saeculis e. g. illis barbaris paucissimae fuerunt haereses: erumpente vero luce euangelii tempore Reformationis, quae, quaeso, non erumpebant corruptelae doctrinae? quae non subito enatae sunt haereses? Testantur etiam idem illud clamores Pontificiorum, qui hoc ipso grauius adculpabant doctrinam Euangelii, quod antea non audita fuerint eiusmodi haereses, quas detestentur ipsi Euangelici: adeoque id adsignabant doctrinae Euangelii. Res Iudaeorum tranquillae erant ante, quam Christus ipse Euangelium nunciaret. Effuso vero in corda Apostolorum Spiritu sancto, quum regnum Dei iam potenter confirmaretur, erumpebant simul corru-

Fr. Obs. Past. P. II. Et ptelae

prelæ doctrinæ, et hærefes pestilentiffimæ, vsque adeo, vt nullum fere seculum vnquam diffensionum exitiosissimarum feracius fuerit. Testantur id etiam Academiae. Vbi enim Studiosi Theologiæ libere genio suo indulgent; vbi maximam partem, nuncio studiis remisso, Baccho et Veneri litant; vbi Epicuri de grege porci sunt; vbi per doctores publicos licet quoquo modo viuere: ibi corruptela doctrinæ nulla esse videtur. Studiosi Theologiæ omnes sunt orthodoxi, et nemo conqueritur de crebris ipsorum computationibus, commissationibus, clamoribusque nocturnis, de singularibus, quæ sæpius ineuntur, certaminibus, de frequentandis popinis, de manifeste prauis amicitiiis, variisque insuper ludorum generibus, quibus et tempus temere perditur, et animus a Deo abalienatur; et quæ sunt eius generis vitia et aliæ res pessimi exempli. Quamnam verò ob causam? quia eiusmodi turpissima crimina non vindicantur; nemo sollicitus est de fundamento fidei; satis imo abunde est, si modo memoria scientiam aliquam dogmatum comprehenderit, quo aliquando examine instituto ad interrogata respondere queant. Testatur id denique perfunctoria muneris sacri procuratio. Quamdiu enim homines, modo, quod ita more receptum est, nulla adhi-

adhibita animi pietate, publicis sacris inter-
 sunt; finitis vero illis, abiecta omni sa-
 luti suae cura, ad villas, cauponas, popinas
 concurrant, turpissimeque se gerunt, et
 nihilominus a verbi diuini ministro, cui
 de peccatis confitentur, prae nimio ac
 praepostero concordiae pacisque studio,
 non ea grauitate, qua decet, de miserrimo
 animae statu moniti, absoluuntur, et ad
 sacram coenam adhibentur: quiete atque
 tranquille viuunt. Verum quum quis
 verbo et Spiritu Dei commotus de vera a-
 nimi emendatione sollicitus est, ac tum
 minus caute ac prudenter animi sui, cum
 variis angoribus conflictantis, sensa aperit:
 fieri saepius solet, vt qui talia de se confi-
 tentem audiuit, quibus aliquid falsi et pe-
 riculosi subesse suspicatur, haec diulget,
 diulgataque acerbe reprehendat, sales-
 que intempestiuos in illis irridendis con-
 sumat, omni simul culpa in pium eccle-
 siae ministrum translata, cuius opera haec
 fiant et periculosi motus excitentur. Ex
 his omnibus ergo satis apparet, non ini-
 quius cum eiusmodi fideli verbi diuini mi-
 nistro agi, quam quondam cum Paulo a-
 ctum fuit; quippe in quem pari ratione
 omnis confusionis, dissensionis, omnium
 denique turbarum culpa per calumniam
 ab hominibus, veritati coelesti infensis, re-
 iecta fuit, dicentibus: *Videre licet, quid*
 Et 2 Pau.

Paulus in insula Creta noui molitus sit; sunt, qui nullis legibus adstringi se patiuntur, vaniloqui, qui domos concursantes credulis sua somnia ingenique commenta obtrudunt, fidemque facile inueniunt.

Videmus etiam secundo, ut alibi Apostolos, ira etiam Cretae Paulum non habuisse aduersarios infensiores, et acerbiores Euangelii hostes, quam eos, qui erant ex circumcissione: ut prorsus apprime in hanc rem dictum aliud apostoli conueniat, Gal. III, 29. *Quemadmodum tunc, inquiens, is, qui secundum carnem genitus fuerat, Ismael scilicet, insectabatur eum, qui natus erat secundum spiritum, i. e. Isaacum: ita et nunc est.* Is scilicet, qui natus est secundum carnem, insectatur eum, qui natus est secundum spiritum. Hoc solatio esse debet fidelibus Dei seruis: si et ipsi eos grauissimos et infensissimos aduersarios experiantur, qui debebant esse coniunctissimi, immo a quibus in causa Dei praecipue adiuuari debebant, sicut v. g. Euangelicos ab Euangelicis iuari oportebat. Hoc exemplum vero merito etiam iis opponitur, qui seruos Dei hoc ipso nomine habent suspectos, quod multis suae partis doctoribus inuisi sint. Talia hoc tempore, quo viuimus, maxime monenda sunt, ut confirmentur animi eorum, quibus aliquando ministerium ecclesiasticum delegabi-

gabitur. Hinc ipse Christus, *praedixi vobis*, inquit, *ne, si vobis eueniant, offendamini*, Ioh. XVI, 1. 4. Forte vero multi non satis hoc intelligunt, nisi illud experimentis cognoscant. Putares enim, plurimum negotii exhiberi ministris ecclesiae ab hominibus, quorum scelera in vulgus nota sunt, aut ab eis aduersariis, quibuscum quasi infesta signa conferenda sunt. Verum quemadmodum in hoc ipso capite vitium *αὐθαδέϊας*, a quo ministri ecclesiae abhorrere penitus debent, primum locum inter reliqua obtinet, sine dubio eam ob causam, quod maxime repugnet ministerio ecclesiastico; ita ab hominibus eiusmodi, qui sunt *αὐθαδέϊς*, sibi pertinaciter placentes, maxima damna adferuntur coetibus christianorum, et plurimum molestiae fidelibus ecclesiae ministris exhibetur. Testantur id satis omnium temporum res gestae. Si quis enim forte in colloquium aliquod veniat cum homine, quamlibet pessimae notae: non adeo magno negotio opus erit ad ipsum apertae impietatis conuincendum. Verum si cui res est cum eiusmodi homine, qui sibi peruenisse ad veram sapientiam, studioseque sibi a vitiis et maleficiis, quae sub sensu hominum cadunt, cauisse videtur: is vix ac ne vix quidem eiusmodi hominem, sibi pertinaciter placentem, corrigi posse sentiet,

Et 3

prae-

praecipue si docendi munus sustineat. Idem hoc sensere, qui de experiendis spiritalibus, et de cura interiore pastorali cogitationes suas litteris mandauerunt, qui libere profitentur, vix vllum negotium difficilius et molestius esse tali colloquio, quod cum eiusmodi hominibus instituentum sit. Inter alios GERSON, vbi incidit in hanc materiam, ait: Eiusmodi homines nemini solere obsequi, nec fidelibus verbi diuini ministris, quoniam eos putent pro ratione officii sui externi, aut propter causas aut utilitates quasdam externas, haec vel illa in ipsis desiderare, multaue facere ea re, quia praecipue opinionibus sint imbuti. Omnium minime vero ferre id posse, recte monet idem GERSON, si ab iis, quos Romanensium sacris addicti laicos vocare solent, moneantur, quia se ipsos existiment longe superiores rerum spiritualium scientia et vsu, ex eoque fieri, vt eiusmodi homines plane admoneri nolint, ac proinde ministris ecclesiae tanto molestiores sint, quanto hi sint fideliores. Interim tamen periculum faciendum, nec labori vlli parcendum est, vt experiamur, an forte eiusmodi ἀνυπότακτοι, qui nimium sui iuris et arbitrii sunt, corrigi et ad officium reduci possint.

Videmus *tertio*, in hisce commati-
 bus Paulum causam et fontem diffusae do-
 ctrinae malae demonstrare, peculii nimirum
 cupiditatem, nec praeterea causam vllam
 aliam adferre, licet alias quoque adferre
 facile fuisset. Sine dubio vero hoc ideo
 fecit, quod hanc principem causam exi-
 stimavit. Dicit enim: *docentes, quae non
 oportet, turpis lucri causa.* Inprimis con-
 ferendum est i Tim. VI, 5. vbi ait: *Peruer-
 sae exercitationes hominum, mente corrupto-
 rum, et qui privati sunt veritate, et quae-
 sui habent pietatem.* Inprimis v. 10. ad-
 dit: *Siquidem radix malorum omnium est
 amor pecuniae, quam quidam dum concu-
 piscunt, discesserunt a fide, et se ipsos un-
 diquaque multis doloribus cruciarunt.* Iam
 vero notanda sunt, quae requirat Paulus
 a Timotheo, amor pecuniae prorsus
 contraria, v. 11. *Tu vero, o homo Dei, haec,
 avaritiam, cet. fuge: sequere autem iusti-
 tiam, pietatem, fidem, caritatem, tole-
 rantiam, lenitatem: certa praeclarum et
 bonum certamen fidei; adprehende vitam
 aeternam, ad quam et vocatus es, et fecisti
 praeclaram illam professionem in conspectu
 multorum testium.* Conf. et v. 13. 14. et 15.
 cet. Notent sibi hoc omnes, qui mini-
 stero ecclesiastico sunt destinati. Nemi-
 ni quidem, simul Deo et Mammoni infer-
 uire, integrum est: verum in ministro ec-

clesiae auaritia non modo christianismum tollit, sed etiam fructum omnem officii aufert. Haec enim cupiditas indomita, saeva, inexplebilis, belluae instar rapacissimae, non solum totas domos euertit; sed, nisi reprimatur et frangatur, homines multarum urbium, morte spirituali adfecti, quasi prostrati iacent, nec reuiuiscere possunt. Exitiosissimas ergo rerum caducarum curas exuat, in munere sacro qui se constitutum uidet. Atque haec grauissima exhortatio nemini superuacanea uideri debet. Si enim verum fatendum est, quam plurimi plus habendi cupiditate flagrant, nec illi vitio, ut par est, obsistunt, curantes, ut eius etiam fibrae magis magisque extirpentur. Quodsi enim quis aliquo uocatur, plerumque prima de reditu annuorum modo quaestio est; quum tamen eorum cura reliquis omnibus longissime postposita esse debeat. Quem enim Dominus, ad Apostolorum suorum exemplum, sine pera et crumena mittit, certus sit, fore, ut ipsi suisque de vitae sustentatione prospiciatur. In imis ergo quasi medullis infixum sit cuique hoc Pauli monitum, ne fructus laboris grauissimi sanctissimique perdat, sed omnis potius cura, cogitatio, mens denique omnis in salutem mortalium procuranda locetur ac figatur. *in* Iudaeis interdictum fuisse constat

stat

superantur, qui, quum sapientes sibi immo idonei videantur, qui alios doceant, peruersas disseminant doctrinas. Ad hoc itaque certamen animum ministerii candidati praeparent.

Quod reliquum est, commendanda hanc in sententiam etiam atque etiam est LVTHERI *Theologia pura et sincera*, ex viri diuini scriptis, maxime tamen latinis, per omnes articulos fidei digesta et concinnata a D. IOANNE HENRICO MAIO, Francofurti edita 1709. It. ELIAE VEIELII *institutiones*, quibus docet, quomodo pius, Evangelicae religioni addictus, homo per omnia ac singula christiana fidei ac religionis capita ad salutarem Dei sui que ipsius agnitionem aedificare, in fide confirmare, in vita emendare, sub afflictionibus consolari, et ad laetum obitum praeparare sese debeat, ex scriptis B. LVTHERI collectae et Gotthae lingua germanica CIO IDC LXXV. (*) editae. Nec non STATII *Lutherus rediuuius*. Adde et FREYLINGHVSII (***) *Fundamenta Theologiae*; et WIEGLE-
BII

(*) Gründlicher Unterricht, was gestalt ein frommer Evangelischer Christ sich durch alle und jede Articul und Punkte christlicher Religion und Lehre etc. aus Lutheri Schriften zusammen getragen.

(***) Grundlegung der Theologie.

BII (*) *quaestiones catecheticas*, in quibus ex LVTHERO Symbolicisque libris sententiae notabiliores collectae sunt, quas scire et in promptu habere nostra aetate multum sane refert. Licet enim eadem tradantur, quae a LVTHERO et symbolicorum librorum auctoribus sacris litteris conuenienter, tanquam scitu et factu necessaria, tradita fuere: non tamen defunt, quae ita dicuntur, velut noua, inusitata ac peregrina in suspensionem adducant.

Videmus *quinto*, Paulum non desperare de vera emendatione etiam eorum, quos adfirmat esse *mendaces*, *malas bestias*, *ventres pigros*. Verbo vero veritatis eam tribuit vim, qua, missis Iudaicis fabulis hominumque institutis, animum a veritate auertentibus, ad saniolem reuocari mentem possint. Certe non obiter hoc notandum fuit. Adfirmat enim Paulus disertere, fuisse illo tempore *Cretenses mendaces*, *malas feras*, *ventres pigros*: et nihilominus tamen Tiro mandat, vt eos grauiter redarguat, quo sani fiant in fide. Spem itaque illam fouet animo suo Paulus, fieri forte posse, vt mentes illorum rursus sanentur, aut, si minus vnquam ad sanitatem peruenerint, ad eam tamen sequenti tempore verbi diuini virtute perducantur. 2 Timoth. II, 25. 26. Armandus

(*) *Catechismus - Fragen.*

mandus ergo ad exemplum Pauli animus in munere pastorali est, nec abiiciendus temere, si forte adfuerint pessimae notae homines, in quibus corrigendis omnis opera perdi videatur. Quum vero aliquos nouerim, qui, cum ob maxime deprauatum gregis sui statum omnis labor ipsis irritus esse videatur, huiusmodi consilia susceperint, ut munere se abdicare statuerint; nonnulli etiam per litteras consuluerint, utrum in ea sententia perstare consultum sit, nec ne: nihil ab instituto alienum facere videbor, si de eodem argumento meam sententiam explicem. Nullus ergo fidenter adfirmare dubito, ecclesiae ministro turpissimum esse, propter praefractam et effrenatam nonnullorum impietatem totum gregem deserere: imo aequae ferre peccare illum, qui hoc faciat, atque illos, qui fidelem animarum pastorem propter fidem praestitam de gradu suo deicere instituant. Non temere munus sacrum suscipiendum, nec deponendum est: omnia potius experiri prius decet, quam iniussu summi imperatoris Christi de statione decedere, quo optimae mentis conscientia nos semper consolari queamus. Paulus certe hac in causa longe aliter animatus erat, quam, ut stationem deserendam illam ob causam ab ecclesiae ministris existimaret, Tito prae-

videtur

()

praecipiens, ut presbyteros passim constitueret in eiusmodi gente, cuius pessimam viuendi rationem viuis quasi coloribus depinxerat. Spem enim animo fouebat, si non omnes, saltem nonnullos fore, qui vocem veritatis animo comprehendentes ad officium reduci possint. Nemo ergo, rebus sic se habentibus, animum despondeat, nec de verbi diuini virtute desperet; sed potius supplex diuinae maiestatis solio aduolutus Deo vicem suam commendet, eumque ad partes suas trahat, certus, fore, ut Deus precibus suis locum relinquat, et re ipsa testaturum faciat, se illum esse, cui omnia pareant, quique hominum vel pessimorum mentes regere et corrigere queat. Verbi diuini ministri, qui se non totos Deo permittunt, ad auxilium magistratus rebus grauius exulceratis confugere solent: fides vero viua et imperterrita omne a Deo auxilium expectat, aequae atque Apostoli, qui in Deum viuentem vnice intuentes, euangelii voce in toto fere terrarum orbe maximas rerum conuersiones fecerunt. Nec est, quod quis omnem laboris sui irriti culpam in nimiam patronorum vel magistratus indulgentiam transferat: hoc enim fere idem est, ac omnem verbo diuino vim atque virtutem detrahere. Difficultates ergo, si superandae, impedimenta remouen-

menda et diaboli machinae eludendae sunt, animus promissis Dei sanctissimis augustissimisque confirmandus, gladioque Spiritus sancti ancipiti strenue utendum est.

Sexto videmus, seuerius nonnunquam et acrius rigidae cervicis homines increpandos esse, si e veterno securitatis excitari et corrigi debeant. Quouis autem modo cauendum est, ne ille animi ardor naturalis sit, sed ex amore Dei excitatus. Inueniuntur tamen, qui natura leniores sunt, et difficulter adducuntur, ut aciore obiurgatione utantur. Quacun- que autem quis natura praeditus sit: confugiendum tamen ipsi in eiusmodi causa ad preces, et a Deo impetranda sapientia est, et vera animi temperantia, quo ipsius auxilio adiutus nec nimio ardore, nec nimia remissione animi peccet, et causae Dei noceat. Sane res haec in recte tuendo munere ecclesiastico omnium iudicio maxime ardua et difficillima putanda est. Equidem qui facile se flecti patitur, exhortationemque haud repugnanter, sed beneuole accipit, molliter quoque et perhumaniter tractandus est; duro autem modo omnino interdum durus quaerendus est cuneus: et tamen res haec omnis ita comparata est, ut nulla talis formula constitui queat, quam semper in hoc negotio sequamur. Memini me legere, HER-
MAN.

MANNO IVNGIO, Lutherano sacrorum antistiti cuidam, datum fuisse, vt cum quibusuis non nisi blandissima oratione sine acriore animi contentione egerit; accidisse igitur, vt quidam capitalis supplicii reus, in vincula publica coniectus, ne quidem tormentorum vi crudelissima ad confitendum adigi potuerit. Quid noster IVNGIUS? accedit ad hominem, humanissimeque fratrem compellans ira emollit, vt omnia crimina ingenue et libere confiteretur. Caue vero tibi, hoc exemplum promiscue ad imitandum proponas. Non enim in blanda compellatione hominum vis animos flectendi inest, sed in ope diuina, seriis precibus efflagitanda, quae verbo pondus addit. Consulendus hanc in sententiam pluribus est GEORGII NITSCHII libellus egregius, qui inscribitur: *Disquisitio Theologica de zelo ministri ecclesiae.* It. IOACH. BETKII *excidium Germaniae; et mensio christianismi*, de quibus quid SPENERVS iudicauerit, videre licet in *Confil Theol. lat.* parte III. pag. 44. 586. 685.

Videmus denique *septimo*, his ipsis verbis Paulum Iudaicas fabulas secretas velle ab Euangelio, quemadmodum vitium, cui hoc monitum oppositum est, 1 Tim. I, 4. III, 7. 2 Tim. III, 3. a Paulo, et Petro 2 Ep. I, 16. reprehenditur. Ad institutam
ver

vero disputationem nostram omnino pertinet, ut de iis rebus auditores maxime moneamus, in quibus hodie quam maxime peccari solet. Quot enim, quaeso, verbi diuini praecones sunt, qui pro suggestu dicentes, adferendis fabulis, obseruationibus, opinionibus, interpretationibus Iudaicis, et ethnicorum testimoniis multum temporis perdunt, et nihilominus eiusmodi orationem sacram his quiesciliis tamquam luminibus distinctam, vel potius inquinatam, pro verbo diuino probari cupiunt? Memini me audire, non neminem aliquando sacris interfuisse; audientem vero, verbi diuini ministrum exordium orationis suae ex Aesopi fabulis defumfisse, has ineptias exorsum templo exiisse. Versantur vero in illo vitio non solum sacrorum ministri in agris degentes, sed etiam ii, qui magna in ecclesia lumina sibi et aliis videntur. Forte hac occasione nonnullis VALERIVS HERBERGERVS in mentem venit, qui alioquin insignem ecclesiae nostrae operam praestitit, in eo autem minus probandus est, quod historiarum et fabularum nimis studiosus fuit, eisque etiam libros suos referat. Quemuis ergo eniti decet, ut missis huiusmodi Postillis, (ut quidem dici solent,) quae talia suppeditant, ipse discat, et sequatur rationem, qua ipse Christus, Prophetae
et

et Apostoli, interpretes illi diuinæ erga homines voluntatis, vñ leguntur. Imo summa rei grauitas me adducit, vt quoscunque futuros ecclesie ministros, quoad eius fieri potest, immo per Deum immortalem orem atque obtester, vt eiusmodi quisquillas, cuius generis fabulæ Iudaicæ at ethnicorum historiae vagæ atque incertæ, emblemata et testimonia sunt, pro concione dicentes auferre, sanamque doctrinam vnice tradere velint, cuius quippe cognitione viua homines, crudelissima diaboli tyrannide liberati cum Deo in gratiam redire possunt. Cui gregis sibi commissi salus curæ cordique est, haud grauate monitum hoc altissime in animum demittet: qui vero, abiecta suæ aliorumque salutis cura, id tantum agit, vt Patronorum tali orationis genere animos sibi conciliet, paterne quamlibet admonitus, antiquum obtinebit. Interim hæc dixisse sufficiat. Ipse quidem Paulus testimonium adfert Epimenidis: ponderanda vero est rerum, temporum hominumque conditio. Nec ARNDIUS quidem (et cum ipso nonnulli alii cordatiores Theologi,) qui maxime sequitur rationem et disciplinam Apostolicam, in ipsis libris *de vero christianismo* omnino testimoniis paganorum abstinuit: Verum ad ipsius exemplum temere prouocandum non est. In

aperto enim est, illud et admodum parce, et tum demum factum fuisse, quum necessitas id posceret, et lectorum utilitas inde speranda esset: e.g. quum hominum maxime impiorum errores ipsorum ethnicorum dictis commodissime conuinci posse viderentur. Dicitur ergo et hic potest: *Duo quum faciunt idem, non est idem.* Qui enim eam rationem sequitur, vel vanae gloriae, vel gratiae hominum aucupandae causa, sciat, sibi aliquando vnus cuiusque verbi inutilis rationem esse reddendam.

Quod reliquum est, oritur hic quaestio: *An etiam obituris munus ecclesiasticum commendandae sint Postillae?* Quum enim tantus sit eius generis librorum abusus, eum vt non modo quilibet pie eruditi, sed etiam omnes, qui aliquid modo salis habent, magnopere detestentur: non immerito quaeritur ante omnia, an fas sit, Postillas commendare? Antequam de re dicam, pauca de nomine monebo. Verbum *Postilla* ex eo est ductum, quod scholastici, praelecto capite aliquo ex Aristotele, auditoribus nonnulla, quae in commentarios referrent, dictare sunt soliti, identidem dicentes: *Post illa*, (scilicet verba auctoris hoc vel illud adscribite.) Ex eo ergo verbum *Postilla* primum natum, quod postea quoque in interpretationibus pericopa-

copiarum euangelicarum et epistolicarum
 ex scriptis patrum desumptis et pro concio-
 ne praelegi olim solitis, posurum est; quia
 illae interpretationes *Post illa*, scilicet ca-
 pita ex sacris litteris, et imprimis perico-
 pas modo nominatas praelegebantur. In-
 ualuit vero hic mos in ecclesia, medio ae-
 uo. temporibus enim antiquioribus ora-
 tiones in concione de certis rebus habe-
 bantur, nullo dicto ex S. litteris, quod
 explicaretur, fundamenti loco posito; id
 quod ex Homiliis Basilii, Macarii cer. sa-
 tis constat. Sed haec quasi in transcurso.
 Ad rem ipsam quod attinet, respondeo:
 commendandas utique esse Postillas, licet
 nec promiscue omnes laudem mereantur,
 nec optimarum etiam usus omnis vitio ca-
 reat. Viri enim sapientis non est, quid-
 quam temere abiicere, sed potius bonum
 a malo, pretiosum a vili discernere in re-
 bus omnibus, et optimo quoque recte uti:
Omnia explorate, inquit Apostolus; *quod
 bonum fuerit, retinete.* 1 Thess. V, 21. Haud
 parum coetum Euangelicorum infamavit
 vulgus Postillatorum: siquidem plerique
 orationes suas alii emblematis, alii trans-
 lationibus sumtis a brutis, ab auibus, a
 gemmis, a floribus referferunt; ut alias
 ineptias taceam. Qui horum scriptorum
 ineptias insulsissimas riserunt, melius con-
 sulere plebi voluere: eorum tamen plurimi,
 Hu 2 si,

fi, quod res est, fateri velimus, ipsi vix meliores, licet forte difficiliore, habeant nugae. Non defunt enim magni nominis Theologi, quorum libri et homiliae referae sunt rebus, verbis, ac sententiis a simplicitate christiana ac ratione docendi Apostolica alienissimis. Alii videntur genus dicendi S. codicis consecrari, et dictis explicandis et ad usum transferendis intenti esse; et hactenus culpandi non sunt: interea cumulant inepte sententias interpretum, e. g. Rabbiorum, Cornelii a Lapide, aliorumque; vel abutuntur concordantiis, variarum vocum et particularum significationes sine necessitate et vera auditorum utilitate vrgentes. Atque hac in re AFFELMANNI, Rostochiensis illius Theologi, opera magni fuit; quippe qui in Praefatione *Synopticae manuductionis ad Articulum de Praedestinatione*, deinde etiam in *Syntagmate Exercitationum Academicarum* edit. Lips. 1674. Disp. XIII de *Spiritus sancti persona*, solide demonstravit, inter impedimenta verae Theologiae nefarium illum Postillarum abusum omnino referendum esse. Sed quia nonnulli commendandi sunt auctores, demonstro inprimis LVTHERVM, cuius Postillam Ecclesiasticam B. SPENERVS de eadem materia, quam publice tractare debuit, legere solitus est. ARNDII vtraque Postil-

la, in *Euangelia Dominicalia* et *Psalms* conscripta, palmam multis aliis praeripit. Vfus is fuit vsquequaque orationis genere graui, solido, maxime digno Theologo. Declarant praeterea scripta illa auctoris doctrinam solidam, vere Theologicam sapientiam, vsumque rerum multarum, quem multis experimentis eruditus consecutus est. Inprimis Theologiae Studiosi optime rebus suis consulunt, si familiares quam maxime sibi reddant libros ipsos SPENERI, cum doctrinam rerum sacrarum, tum earum vsum tradentes. Pertinet eo inprimis (*) eius *doctrina fidei*; (**) *officia fidei*; (***) *consolatio fidei*. Nec denique spes vtilitatis illum frustrabitur, qui D. HENRICI MVLLERI et SCRIVERI scripta diligenter euoluerit.

Mentionem iniecimus Concordantiarum, earum abusum taxantes. Vfus vero earum legitimus in omni studio Exegetico et Homiletico mirifice se commendat. Et quod ad Germanicas quidem Concordantias attinet, LANCKISCHII labores reliquis omnibus palmam praeripiunt. Ornauit istas GLAVCHIVS scripto quodam egregio, in quo agit *de usu Concordantia-*

Uu 3 *dantia-*

(*) *Glaubens - Lehre.*

(**) *Lebens - Pflichten.*

(***) *Glaubens - Trost.*

dantiarum. Usus enim earum insignis omnino est: licet abusus non minor sit. ERASMI SCHMIDII *Concordantiae Graecae* nemini non notae sunt, ut iis commendandis superfedere facile queamus. BVXTORFFII *Hebraicae Concordantiae* cui ad manus sunt, sentiet, quantam utilitatem adferant in omni re Exegetica; de quo vel inprimis WOLFGANGVS FRANZIVS in scripto suo *de interpretatione scripturae sacrae* legendus est. Pertinent huc etiam NOLDII *Concordantiae particularum Hebraicarum*; nec non KIRCHERI *Concordantiae Graecae* in versionem LXX viralem, qui liber est rarissimus. His postea accesserunt ABRAHAMI TROMMII *Concordantiae* in omnes Versiones Graecas V. T. Amstelodami et Ultraieci c. 1300 xviii. Scripsit vero ipse quoque KIRCHERVS librum *de usu Concordantiarum*, ubi nouem commoda recenset Concordantiarum; quae etiam STEPHANVS GAUSSENSVS, Professor Salmuriensis, in *Dissertatione de methodo Studii Theologici* admodum commendat. Batavorum et Anglorum concordantiarum opera diffusa iam praeter eo.

Omnia quidem mundis munda : immundis autem et infidelibus omnia immunda , nam polluta est et mens et conscientia eorum. DEVM profitentur se scire , sed factis negant , quum sint abominandi , contumaces , et ad omne bonum inepti.

Quod ad sententiam horum commatum atinet, notandum omnino id est, quod v. 10. dicitur de iis, qui fuerunt ex circumcissione. Ex hac igitur collatione v. 14. vbi de Iudaicis fabulis sermo est, patet maxime, digitum intendi in commate hoc 15 et 16. ad Iudaeos recens conuersos, quibus nihilo minus, vi educationis suae Iudaicae, ceremoniae V. Testamenti insigniter adridebant: quemadmodum cuius ex Epistola ad Romanos, ad Galatas, et ad Colossenses c. II. id constare potest. Quale autem fuerit genus illud hominum, quod fructum laboris Pauli et Titi in iis locis impedierit, id explicatur commatibus superioribus a 10 ad 14, quae si huc trahantur, facile intelligitur, quid sibi velit Apostolus scribens: *Omnia munda mundis.* Tolerabantur scilicet a Paulo a Iudaismo recens conuersi, adhuc obseruantes leges rituales V. Testamenti, si mo-

do fide integra essent. Quid? quod Paulus diserte ait Rom. XIII, 19. illos colere eiusmodi ceremonias Domino, h. e. in honorem Domini. In eandem ergo sententiam *munda*, i. e. nihil nocentia erant *mundis*, i. e. ad Deum vere conuersis ac fidelibus, *omnia*, quae alioquin ad statum V. Testamenti potius, quam Noui erant accommodata et per se minime factu necessaria: *pollutis autem et infidelibus nihil erat mundum*, i. e. etiamsi maxima cura ceremonias illas colebant; nihil tamen ipsis proderat, vt ideo Dēo magis probarentur; *polluta enim erat et eorum mens et conscientia*, Deum quippe, *verbis profitebantur se scire ac factis negabant.*

APHORISMVS XI.

Ministri Ecclesiae est, nec religione obstringere animos vetandis eis rebus, quae per se legemque Dei licitae sunt, nec contra liberare animos religione debita, et specie christianae libertatis nefarie et irreligiose omnia exaequare et actiones neutras statuere. Sicut enim illud verae libertati fraudi est, ita hoc adfert licentiam peccandi sub specioso illo euangelii nomine. Ita autem de Christo docen-

docendum est, ut gratia et veritas, quae per eum patefacta est, recte cognoscatur, et omne, quod non ex fide proficiatur, peccatum esse intelligatur, quo ipse Christus animo, Evangelii vim accipienti, sit et sapientia, et iustitia, et sanctificatio et redemptio.

Vt recte Aphorismum hunc intelligamus, et eo facilius ad nostrum aliorumque usum transferamus; notemus ante omnia ab usum illum abominandum verborum Pauli: *Omnia mundis munda*. Non desunt enim homines, polluti mente et conscientia, qui indulgentes cupiditatibus carnis, et rebus creatis abutentes, licentiam illam carnalem excusent dicto Pauli: *Omnia munda mundis*: quod quidem recte intellectum per se verissimum est; homines vero eiusmodi mundos esse adeoque dictum hoc in illos conuenire, hoc omnino falsissimum est. Utinam vero ne etiam inter Studiosos Theologiae essent, qui huiusmodi dicta impia interpretatione peruersa in ore habent. Illi ergo, quos notamus, scientiam quidem rerum theologiarum consequuti, veram autem animi mutationem nunquam experti, ut peruerse omnia agunt, ita et alios agere

Uu 5 docent.

docent. Aut enim praeceptis humanis imbuunt animos, aut licentiam carnalem largiuntur, ad exemplum eorum, qui Pauli aetate totas domos peruertebant, docentes, quae non oportebat, et tamen existimantes, se cum longe meliora et praestantiora docere iis, quae a Paulo et reliquis Apostolis tradebantur, tum rectiorem tenere viam: quum tamen adeo non fines imperii Christi proferrent, ut potius, quae Apostoli exstruxerant, destruerent, misereque subuerterent. Certe ad doctrinam humanam, quamvis exquisitam, sapientia diuina accedat, necesse est. Dici enim non potest, quam stulte et praepostere alioquin agatur, si quis illa destitutus aliis viam aeternae salutis se demonstrare velle profiteretur. Misere sane Euangelium cum lege, lexque cum Euangelio commiscebitur, tota denique veritatum coelestium series et ordo ratione vsus legitimi peruerteretur. Caue enim putes, idem esse, ex dicto aliquo, non infeliciter explicato, dogma aliquod ducere, vel locum aliquem ex theologia curate pertractare, atque Iesum Christum in *ἀποδείξει πνεύματος* et pro N. Testamenti indole et statu, miseris et peccatis suis serio dolentibus animis recte demonstrare, eosque, excusso ceruicibus durissimae seruitutis iugo, in veram illam solidamque libertatem
vin-

vindicare, quae in Christo Iesu est. Ar-
 qui hoc certe caput fuit Luthero et eius
 adiutoribus fidelibus in sacrorum emenda-
 tione, ut de fide et virtute christiana re-
 cta docerent; haec est illa res, propter
 quam multas contumelias multaque mala
 perferre coacti sunt. Utinam vero non
 tam mira paucitas eorum esset, qui emen-
 datoris illius sanioris doctrinae mentem
 adsequuti, eius vestigiis presse insisterent.
 Interim ipsum de bonis operibus differen-
 tem audire placer, quo de ipsius men-
 te atque sententia eo certius cuius con-
 fter.

Ita vero se eius verba habent T. V.
 opp. Witteb. lat. p. 577.: „*Primo omnium*
 „sciendum, nullum esse bonum opus, ni-
 „si quod Deus praeceperit: et rursus,
 „non esse peccatum, nisi quod Deus vetu-
 „erit, inhibueritque. Ergo bona opera
 „vel cogniturus vel facturus, non eget
 „nisi notitia praeceptorum Dei. Ita enim
 „Christus ait Matth. XXI. *Si vis vitam in-*
 „*gredi, serua mandata.* Itemque inter-
 „roganti adolescenti Matth. XIX. quidnam
 „faciens saluus fieret, nihil aliud Christus
 „quam decem obtulit praecepta. Quam-
 „obrem necesse est, a nobis disci bono-
 „rum operum discrimen ex Dei praece-
 „ptis, et non ex specie, magnitudine aut
 „multitudine operum in se ipsis; sed ne
 „ex

„ex opinione quidem et arbitrio homi-
 „num, vel modo legum, traditionum, et
 „inuenientiarum humanarum, vel ratione
 „nostro conspectui obuia, vt hactenus, ita
 „perpetuo futura per nostram caecitatem,
 „cum magno diuinorum praeceptorum
 „contemtu.

„Secundo, et primum, et summum,
 „et nobilissimum omnium bonorum ope-
 „rum est fides in Christum. Velut ipse
 „dixit Io. VI. Nam Iudaeis interroganti-
 „bus, *quid faciemus, vt operemur ope-
 „ra Dei?* Ita respondit: *Hoc est opus
 „Dei, vt credatis in eum, quem misit il-
 „le.* At nos hoc vel audientes vel prae-
 „dicantes cursim transimus, arbitantes
 „et vile et facile factu, quum tamen hic
 „nobis standum esset, et hoc ipsum fide-
 „liter meditandum. Nam in hoc opere
 „neccessesse est, vt omnia opera gradientur,
 „et vt influxus bonitatis eorum hinc non
 „secus atque feudum accipiant. Id quod
 „crassius, vt intelligant, a nobis descri-
 „bendum est. Inuenies enim multos, qui
 „ieiunant, fundant, hoc et illud faciunt,
 „bonam vitam coram hominibus viuunt;
 „quos si interrogas, an certi sint, placere
 „Deo, quod ita viuunt, respondent: ne-
 „scire id sese, vel dubitare. Praeterea
 „sunt etiam nonnulli doctorum, qui eos
 „corrumpunt et seducunt, dicentes: non
 „esse

„esse opus, vt huius rei sint certi, quamuis
 „alioquin nihil nos nisi bona opera docen-
 „tes. Ecce omnia illa opera procedunt
 „extra fidem. Nam qualis eorum est er-
 „ga Deum conscientia et fides, talia sunt
 „et opera ex eadem proficiscentia. Ve-
 „rum cum ibi nihil sit fidei, nihil bonae
 „conscientiae erga Deum; ergo operibus
 „caput deest, et tota eorum vita et boni-
 „tas penitus nihil. Inde venit, vt dum
 „extollo tantique facio fidem, et eiusmo-
 „di infidelium opera reiicio, sunt, qui me
 „culpant et accusant, veluti prohibentem
 „bona opera; quamuis interim nihil vehe-
 „mentius cupiam, quam vt vere bona fi-
 „dei opera doceam.

„*Tertio*, eos amplius interrogans, an
 „et hoc ipsum pro bono opere ducant et
 „existiment, quando manibus suis opifi-
 „cium laborant, stant, eunt, comedunt,
 „bibunt, dormiunt, et omnium generum
 „opera vel ad sustentationem corporis, vel
 „ad rempublicam necessaria faciunt; et
 „an credant, Deo se in illis ipsis placere:
 „inuenies dicturos: Non; et bona opera
 „adeo in arctum detrusuros, vt nihil nisi
 „in templis orare, ieiunare, et eleemo-
 „synis inopes iuuare, pro bonis habeant
 „operibus, reliqua omnia vana et frustra-
 „nea existimantes, et quae Deus nihili fa-
 „ciat. Et ira damnatissima perfidia DEO
 „suam

„suam seruitutem et culturam , cui seruit,
 „quicquid in fide fit , agunt , et cogitari
 „potest , comminuunt , et circumdant , et
 „abbreviant. Ita docuit Eccles. VIII. *Va-*
 „*de ergo , et comede in laetitia panem tuum ,*
 „*et bibe cum gaudio vinum tuum , quia Deo*
 „*placent opera tua. Omni tempore sint*
 „*vestimenta tua candida , et oleum de capi-*
 „*te tuo non deficiat : perfruere vita cum*
 „*uxore , quum diligis , cunctis diebus vi-*
 „*tae instabilitatis tuae , qui dati sunt tibi*
 „*sub sole omni tempore vanitatis tuae.*
 „Vestimenta candida esse omni tempore ,
 „est , omnia nostra opera bona esse , quo-
 „cunque sint nomine indiscriminatum.
 „Tunc autem sunt candida , quando cer-
 „tus sum , et credo , ea Deo placere. Sic
 „enim nunquam mihi defuit oleum hilaris
 „et gaudentis conscientiae a capite meae
 „animae. Ita Christus dixit Io. VIII. *Ego ,*
 „*quae placita sunt ei , facio semper. Quo-*
 „*modo ea faciebat semper , suo interim ta-*
 „*men tempore et edens et bibens et dor-*
 „*miens ? Vnde i Io. III. Per hoc cognosci-*
 „*mus , quod ex veritate sumus , et in con-*
 „*spectu eius suadebimus cordibus nostris :*
 „*Quoniam , si reprehenderit nos cor nostrum ,*
 „*maior est Deus corde nostro , et nouit omnia.*
 „*Et fiduciam habemus ad Deum , et quic-*
 „*quid petierimus , accipiemus ab eo : quo-*
 „*niam mandata eius custodimus , et ea , quae*
 „sunt

„sunt placita coram eo, facimus. Item:
 „Qui ex Deo natus est, i. e. qui credit et
 „in Deum confidit, non peccat, nec pecca-
 „re potest. Item Ps. XXX. Et non delin-
 „quent omnes, qui sperant in eo. Immo
 „Ps. II. Beati omnes, qui confidunt in eo.
 „Quod si verum est, necesse est, bonum
 „esse, quicquid ipsi faciunt, vel saltem
 „ipsis statim remitti et ignosci, quod pec-
 „cant. En iterum hic, cur tantopere fi-
 „dem extollam, omnia opera ad eandem
 „referam; sed et reiiciam, quicquid ope-
 „rum inde non desuit.

„Quarto. Hic unicuique facile est con-
 „siderare et consentire, quando aliquid et
 „quando nihil faciat boni. Nam inue-
 „niens cor suum hac fiducia instructum,
 „ut credat, sese Deo placere, tum opus est
 „bonum, etiamsi adeo sit paruum, adeo
 „vile, ut culmum tollere. Si vero desit
 „vel fiducia vel spes ad Deum, tum opus
 „non est bonum, etiamsi omnes mortuos
 „resuscitet, et homo sese comburendum
 „permittat. Sic sanctus Paulus ad Rom.
 „XIII. docuit: *Omne, quod non est ex fide,*
 „*peccatum est.* Nam a fide, et nullo alio
 „opere, hoc nomine ornatur, ut christia-
 „ni vocemur, veluti a primario opere.
 „Siquidem omnia reliqua opera etiam
 „Ethnicus, Iudaeus, Turca, peccator
 „possit facere. Sed confidere et credere
 „fir.

„firmiter, se Deo placere, non est possi-
 „bile, nisi christiano, gratia Dei et illustra-
 „to et confirmato. Verum huiusmodi
 „sermões raros esse, et me a nonnullis
 „hoc nomine haereticum accusari, ideo
 „fit, quod caecam rationem et ethnicam
 „scientiam sequuti, fidem posuerunt non
 „supra sed iuxta alias virtutes, attribuen-
 „tes ei peculiare et proprium opus, sepa-
 „ratum ab omnibus aliis operibus reliqua-
 „rum virtutum: Quum tamen fides sola
 „omnia reliqua opera faciat vt bona, ita
 „accepta et digna, in eo, quod Deo confi-
 „dit, et non dubitat, coram ipso benefa-
 „ctum, quicquid homo faciat. Immo
 „non permiserunt, fidem opus manere,
 „sed, vt ipsi loquuntur, habitum ex ea
 „fecerunt: quamuis tota scriptura sacra
 „nulli operum nomen diuini boni, praeter-
 „quam soli fidei tribuente. Itaque non
 „est mirum, eosdem illos et caecos et cae-
 „corum ductores factos esse. Haec enim
 „fides statim, secum ducit vt charitatem et
 „pacem, ita gaudium et spem. Nam
 „quicumque Deo credit et confidit, eidem
 „statim et sanctum dat Spiritum, teste S.
 „Paulo, ad Galatas dicente: *Accepistis Spi-
 „ritum, non ex vestris bonis operibus, sed
 „quod verbo Dei credidistis.*

„Quinto. In hac fide omnia opera fiunt
 „paria et aequalia, et vnum alteri simile est.

„Tum

„Tum concidit omnis differentia operum,
 „siue magna sint, siue parua, siue longa,
 „siue breuia, siue multa, siue pauca. Nam
 „opera sunt Deo grata, non in se ipsis, sed
 „propter fidem, quae sola et vnice et in-
 „discriminatim in vniuersis et singulis est
 „operibus, operatur et viuit, quam mul-
 „ta et differentia fuerint: non secus atque
 „omnia membra capitis beneficio viuunt,
 „operantur, et nomen habent. Et sine
 „capite nullum membrum neque viuere,
 „neque operari, neque nomen habere pot-
 „est. Ex quo amplius et hoc sequitur,
 „christiano, in hac fide viuenti, non esse o-
 „pus doctore bonorum operum, sed fa-
 „cere, quicquid in manus eius venit. Et
 „omnia bene facta sunt, sicut sanctus Sa-
 „muel ad Saulem dicebat: *In alium virum*
 „*mutaberis, quando Spiritus Domini in te*
 „*venerit: tunc fac, quod in manus tuas*
 „*veniet, Deus tecum est.* Ita legimus et-
 „iam de sancta Anna, Samuelis matre,
 „quando sacerdoti Heli credidit, DEI gra-
 „tiam promittenti, hilarem et pacatam
 „domum reuersam, neque faciem eius
 „posthac in diuersa mutatam, hoc est, ipsi
 „postea omnia vnum idemque, et cuncta
 „eadem et aequalia esse facta, in quaecun-
 „que incidit. Sanctus quoque Paulus di-
 „xit: *Omnia esse libera, vbi Spiritus DEI*
 „*sit.* Nam fides non permittit, sese neque
 Fr. Obs. Past. P. II. ꝯꝑ „vllis

„vllis allegari operibus, neque rursus fi-
 „bi vlla adimi opera. Sed quemadmo-
 „dum in primo Psalmo: *Fructum suum da-*
 „*bit in tempore suo*, hoc est, vtcunque et
 „venit et vertit.„

Iam quum in Aphorismo hoc XI. di-
 xerimus, ministri ecclesiae esse, nec ani-
 mos religione obstringere interdictione
 rerum, quae sua natura licitae sunt, nec
 nomine christianaelibertatis indifferentiam
 aliquam actionum statuere: sciendum est,
 haec esse duo illa vitia contraria, omni stu-
 dio a ministro ecclesiae euitanda. Dela-
 buntur autem homines facile in alterutrum
 horum vitiorum; ita quidem, vt homines
 ingenii et animi pharisaici facile ad inter-
 dictionem rerum per se licitarum decur-
 rant. Non desunt enim ministri eccle-
 siae, qui prae se ferunt quidem speciem
 aliquam pietatis, quorum tamen animus
 nunquam seriam conversionem expertus
 est: hi igitur solent maxime eo delabi,
 vt in rebus externis velint esse seueriores,
 praecipue in eis, quibus ipsi pro sua natu-
 ra non admodum capiuntur ac tenentur;
 cum tamen interea avaritiae et aliis vitiis
 dediti sint, nec de illorum emendatione
 cogitent. Hi itaque sunt ex eorum nu-
 mero, in quos conuenit, quod Christus
 ait Pharisaeis Marth. XXIII, 24: *Duces caeci,*
qui culicem colando secernitis; camelum
autem

autem deglutitis. Dantur vero etiam ministri ecclesiae fideles, recens ad Deum conuersi, qui, quoniam usum rerum spiritualium et prudentiam illam reetricem vitae non habent, ideo solent omnia ad nimiam seueritatem exigere, hominibusque religionem obiicere, vbi non oportet. Interim tamen multum interest inter homines pharisaicos, et eiusmodi fideles ministros, licet recens conuersos. Hi enim, bonam mentem habentes Christumque et Apostolos imitari studentes, curam seriam gregis sibi commissi gerunt, eoque ipso interdum adducuntur, vt hominibus onus aliquod imponant, quod tamen Christus non imposuit. Faciunt ergo quidem illud optimo consilio, et haectenus sunt laudandi, sed ea prudentia carent, qua in huiusmodi externis rebus administrandis quam maxime opus est. Interim quo magis amor, filios Dei decens, in iis exardescit, et quo magis spiritus vere euangelicus, Spiritus Christi et Apostolorum pectora eorum replet, quoque magis usus et exercitatio accedit; eo magis ipsi etiam sequuntur rationem docendi euangelicam Christi et Apostolorum. Falluntur interdum ministri ecclesiae, recens in munere constituti, quando in praeceptores suos aut veteranos verbi ministros intuentes existimant, eos iusto leniores esse, sibi que

¶ 2 plau-

plaudentes putant, se longe rectius curare rem ecclesiae, eo quod multo acriores in obiurgando sint, multoque adcuratiores in his vel illis rebus externis obseruandis. Falluntur, inquam, tales: Neque enim veterani ecclesiae ministri eam ob causam leniores sunt, quod sint negligentiores officii, sed quod potius ipso usu et experimentis didicerunt, rationem Christi esse paternam, tolerandosque esse, qui vlla ratione tolerari possint, nec refecandum continuo, quod iuniores putant esse refecandum, ne simul etiam ea refecentur, quae conseruari et sanari potuissent. Ferendi itaque sunt ecclesiae ministri iuniores, si eiusmodi naeui in illis cernantur, et sint tamen alioqui bene animati: possunt moneri mature de eo, quod tritum factum est consuetudine prouerbum, adagio: Rigore nimio animos irritari, *allzuscharf macht schartig*. Interim tamen tales solent esse reliquis multo meliores. Qui enim in redarguendis auditorum vitiis nimis remissi sunt, deteriores licentia sua reddere solent improbos: qui vero perditorum morum rigidiores aliquando censors sunt, licet nonnunquam modum excedant; officio tamen suo satisfacere adnituntur. Spiritus sane diuinus, si modo illum sibi magistrum et ducem serio expetent, sat cito ipsos ad lenitatem illam pater-

paternam finget et formabit, vt cum fructu officii sui partes implere possint.

Atque hoc monendum fuit in hoc sermone de cura pastorali: nam aliquando meminisse iuuabit. Non enim me fugit, auditores, vsu et experimentis nondum doctos, non satis haec intelligere: Fac ergo esse, qui hoc monitum sinistra interpretatione ad carnalem sententiam detorqueere velit; spero tamen, immo confidore, vt ipse dies optimus verborum meorum interpres sit.

At multo plures delabuntur in alterum illud vitium, eorum nimirum, qui, quae lege diuina adstricta sunt, temere relaxant; quo aditus ad peccata omnia munitur, et occasio hominibus dari solet, volutandi se in coeno voluptatum flagitiorumque omnium. Natura enim nostra deprauata multo procliuior est ad illam lubricitatem carnalem, quam ad seueritatem disciplinae christianae: vnde mirum non est, longe plures in hoc, quod maxime redarguimus, vitio versari, quam in illo, de quo supra dictum est. Plura itaque sunt monenda Pauli exemplo, in commatibus hisce grauitur admodum inuehentis in eiusmodi homines, qui Deum se agnoscere profitentes, re tamen ac factis eum esse negent, sintque abominandi, contumaces, et ad omne bonum et rectum in-

epti. Id quod in ministros illos ecclesiae apprime conuenit, qui ad Deum non conuerſi, uideri uolunt tenere ſcientiam uere theologicam; interim factis Deum eſſe negant. Horum, inquam, polluta eſt et mens et conſcientia, ſtatuentium eiſmodi res actioneſque neutras, de quibus certo pronuntiare nolunt, utrum ſuſcipi poſſint ſaluâ religione, nec ne. Caueant ſibi auditores aliquando ab illa uaga et uana ratione docendi de rebus indifferentibus, *von freyen Mittel-Dingen*. Non ſunt peiores nec pernicioſiores hoſtes rei chriſtianae, quam iudem illi, qui eiſmodi indifferentiae carnali indulgent, nec religioni ſibi ducunt dicere: *Unſer HERR GOTT wird uns noch wol eine Luſt goennen*, h. e. Deus gaudiis noſtris non plane inuidebit; nec improbant, ſi quis aut iuſto plus bibat, *wenn ſich einer ein chriſtlich Raueſchgen trincke*, aut ſodalitatibus ad potandum inſtitutis interſit, quae *ein Kraentzgen* uocari ſolent, ubi qui conueniunt, chartas luſorias in manus ſumunt, meminerunt cantiuncularum, quas didicerunt olim in Academiis cet. Non poſſum, quin hac occaſione precibus omnibus orem atque obteſter uos, auditores, ut ad dignitates aliquando ſacras euecti, monitum hoc memoria repetatis, ad quod uos coram DEO et Ieſu Chriſto exhortor.

Sacri

Sacri enim ordinis viris turpissimum est, eorumque, qui serui Christi videri volunt, persona prorsus indignum, si coetus et sermones habentes, omiſſa Dei hominumque verecundia, ad impuram istam Deoque inuisam viuendi consuetudinem reuertuntur, quam quondam in Academiis festati fuerunt, quamque seriis deplorare lacrimis fas erat. Vestrum ergo, auditores, erit, posito omni timore et intempestiua verecundia, libere atque serio, cum omni tamen animi modestia reliquos turpiter se dantes hunc fere in modum dehortari: Nos sumus verbi diuini ac Iesu Christi ministri; absit ergo a nobis huiusmodi improbitas; prohibeamus a nobis impias mentes, voluptates, lubidines et virium animi dissipationes; contra vero in eam curam incumbamus, vt et nostrae et auditorum, fidei nostrae commissorum, salutem consulamus. Quod si fiet, futurum est, vt reliqui pudore confundantur: et licet etiam vos irrideant, vosque tamquam nimis anxios reiiciant, id tamen minime curare debetis.

Iam vero porro cogitemus, locum illum LVTHERI, suppeditatum a nobis, esse debere fundamenti loco in declinando hoc vitio. Equidem et Philosophia moralis multa differit de principiis actionum: verum illa quasi vix, summam terram ran-

¶ 4 gunt,

gunt, nedum in intima penetrant. Itaque etiam atque etiam moneo, ut in ipso munere ecclesiastico constituti illum locum frequentius legant, quo genuinum fundamentum verae iustitiae videntes carnalem illam indifferentiam fugiant, erroremque illum etiam aliis eripiant. Nulla enim ratione ille cum hoc LVTHERI fundamento coniungi potest. Merito hic commendo locum illum in Collegae honoratissimi D. ANTONII Elementis Homileticis p. 34. ubi brevissime de ratione tractandi res indifferentes praecipit. Sunt haec illius verba: „ In concionibus circa
 „res indifferentes, quae vulgo dicuntur
 „*Mittel-Dinge*, ponendum est ante omnia
 „fundamentum (I) quod impuris omnia
 „sint impura Tit. I, 15. adeoque non suffi-
 „cit, ut res aliqua possit forte in abstracto
 „concipi, tanquam res indifferens, sed
 „informandi sunt homines in concreto,
 „quia non abstractis concionamur, sed au-
 „ditoribus in concreto, Rom. VIII, 6. (II)
 „Dubitante conscientia nihil esse facien-
 „dum, Rom. XIV, 23. (III) Consideran-
 „dam esse infirmitatem humanam, ne con-
 „iiciamus nos in periculum in rebus, ad
 „quas caro ultro prona est, Sirac. I, 31.
 „XXXII, 25. fugiendam esse occasionem
 „peccandi et scandalum piorum. „

Cap. II, I. ad 6.

At tu loquere, quae digna sunt sana doctrina, ut senes sobrii sint, venerandi, graues, consulti, sana fide, caritate, tolerantia cet.

APHORISMVS XII.

Eo modo optime fungitur minister verbi diuini officio suo, quum sanam doctrinam omnium aetatum ordinumque hominibus sedulo tradiderit a), et assidue simul curauerit, ea vt ad vsum transferatur b).

Hic Aphorismus totidem verbis legitur in Adnotationibus SWEDBERGI in Epistolam ad Titum. Equidem primo adspectu praeceptum hoc videri poterit in rerum pastoralium vfu nondum versatis aliquanto leuius, nec adeo magni momenti. Nec mirum: illi enim perspicere non possunt, quanti in integra epistola ad Titum et reliquis duabus, quas ad Timotheum Paulus scripsit, diuinae sapientiae fontes contineantur. Quodsi vero aliquis versans in rerum vfu, epistolas has Paulinas attente lectitat: deprehendet, saepius in vno aliquo commate plura comprehendendi, quam in longis disputationibus Casui-

Ex 5 sta-

starum. Quin quo quis maiores accessiones scientiae rerum ad pastorale munus pertinentium consequitur, eo magis ipsum admiratio sapientiae Apostoli capiet, interdum in vnica aliqua voce latentis. Quo igitur auditoribus adcuratius constet, quanti hic Aphorismus XII. aestimandus sit, et quam ob caussam eundem in hoc sermone de re pastorali voluerimus vel in primis ducere ex initio huius capituli II; quum alii plures facile erui potuissent: sequentia erunt animaduertenda.

a) Quod in superiori Aphorismo indicatum fuit, duo esse vitia, in quorum alterutrum facile aliquis delabi queat: idem ad hunc dicendum est. Sunt nimirum ministri ecclesiae, qui fundamenta christianismi in animis auditorum posituri, ante omnia vrgent et inculcant doctrinam de poenitentia et fide, eoque omnem orationem suam conferunt, vt animi recte formentur: et hactenus se quidem omnia bene habent. Interim vero in eo laudandi non sunt, quod omittant hanc partem, qua praecepta etiam propria danda, hominesque ducendi sunt sedulo ad conseruationem officiorum propriorum, quae ipsis pro diuersa aetatis, vitae generis, ordinis et temporum ratione sunt tributa; rati fortasse, non adeo necessarium esse, vt conclusionem subinde efficiantur, propterea quod

quod sua sponte ex positis consequantur. Adiungunt etiam, infinitum fore, si quis velit homines, in tanta varietate constitutos, quasi de singulis particulis admovere; Euangelii hanc vim et naturam esse, ut hominis totum animum commutet, quo commutato externam morum correctionem sua sponte sequi ex illa animi emendatione. Non nego, rationes has tam speciosas esse, ut facile aliquem eo impellere possent, ut plane illa monita propria praetermittat. Quod si vero rem hanc maturatione cogitatione expendamus, adparebit, nonnunquam eiusmodi singulares exhortationes, v. g. seruorum, ancillarum, liberorum, herorum et herarum, ea re omitti, quia nonnullis videantur leuiore et viliores esse, quam ut in iis commorari, operae pretium sit; inprimis, quum habeant, quae ipsorum iudicio multo sublimiora, praestantiora, sapientiora sint. Eiusmodi fastidium vero solet non homines epicureos et aperte malos capere, sed illos inprimis, quorum animi sunt incensi studio pietatis, et qui cupiditate officio suo satisfaciendi ardent. Illos sane eo ducere potest, ut eiusmodi superbiam spiritualem sumant, voluptas illa animi singularis, qua capiuntur et tenentur in legendis eiusmodi libris, qui non nisi interiora tractant. Atque his ipsis, dum intenti admodum sunt

ad

ad corrigendum statum animi sui internum, de externo parum solliciti, facile accidit, vt, de aliorum etiam moribus externis corrigendis minus solliciti, in iis duntaxat versentur, quae ad interiorem animi cultum facere videntur.

Memini aliquando ad nos accedere Pastorem aliquem, coelestes doctrinas non sine dexteritate tradentem, qui, cum audiisset, hoc loco publice homines, pro diuersa conditione, admoneri officii sui, profiteri non dubitabat, se huius rei in fungendo officio pastorali fere esse oblitum, immo se in ea opinione fuisse, huc vsque, nimis ieiunas et steriles esse eiusmodi exhortationes singulares, quam quibus publice dicentes vtamur; illud vnice rem causamque continere, vt interiori animi statui corrigendo intenti simus: iam, verum quum nullum amplius de eius generis monitorum necessitate dubitandi locus relinquatur, sententiam suam hanc in re se mutaturum esse. Propterea hoc ipsum exempli loco adfero, vt eo facilius animaduerti possit, quam ob causam hunc Aphorismum posuerim. Nam quod illi Pastori, cuius ego virtutes in reliquis certe admiratus sum, accidit; id etiam accidere potest vnicuique non sine insigni damno auditorum.

Alii

Alii in alteram partem labuntur, de fundamento quippe recte in animis ponendo non solliciti; nec curantes satis, ut mutantur animi auditorum doctrina de poenitentia et fide recte inculcanda: dum interim urgent semper externa, inculcant auditoribus officia pro diuersa ratione aetatis, conditionis, ordinis reliquarumque rerum, obiurgant acriter et vitia reprehendunt; ac si denique etiam solatium euangelii adhibuerint, putant, se egregie satisfecisse officio pastorali. Atque hi sunt superioribus illis longe peiores. Illi enim omnino excusationem merentur, quia solliciti sunt de fundamento, recte in animis auditorum ponendo; licet in eo errent, quod non tradant praecepta necessaria ad dirigenda hominum officia: hi vero certe ineptissime et prorsus inconsiderate agunt, similesque sunt, ut si quis domum exstructurus de fundamento ponendo non sit sollicitus. Interim peruersa haec docendi ratio in praesenti admonitionem nostram et praecepta non magnopere desiderat; facile enim cuius adparet, laterem illos lauare et operam perdere, qui auditores animis nondum vere commutatos crebrioribus ad virtutes externas adhortationibus obrundunt.

De superiori vero illo vitio, quod virtutis speciem habet et ad quod bene animati

mati

mati sunt procliues, omnino plura sunt monenda. Debebant scilicet illi vel inprimis cogitare, rationem, qua vtuntur, alienam quam maxime esse a ratione docendi Apostolica. Apostoli enim in epistolis suis non omiserunt quidem partem illam priorem muneris sui Apostolici, muneris nempe didascalici; sed de fundamento recte ponendo in animis hominum, et de annunciando recte Christo, prout ille factus a Deo nobis est sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio, maxime cogitarunt: verum non omiserunt partem posteriorem. Exemplo possunt nobis esse epistolae Pauli ad Romanos, ad Corinthios, et ad Ephesios inprimis datae. In hac enim tribus prioribus capitibus fundamento posito, in tribus posterioribus ad vsum omnia transferuntur: quam docendi rationem obseruare etiam licet in epistolis Petrinis. Videmus, Paulum speciatim monere liberos, parentes, seruos, dominos, coniuges, etiam interdum iuniores et seniores, et ita in reliquis. Certe cogitare debebant, qui solliciti non sunt, nisi de fundamento in animis recte collocando, sine dubio Apostolis grauissimas fuisse rationes, quamobrem hanc viam sint secuti, nec putarint sufficere, si optime, purissime, sanctissime, sapientissimeque Christus per Spiritum sanctum adnunciatur; sed
 statu-

statuerint, praeterea requiri etiam, vt praecepta eiusmodi propria traderentur, quibus homines pro diuersa conditione officii admonentur. Debebant ergo illi, qui in eam partem labuntur, in rationes inquirere. Viderunt enim sine dubio Apostoli, homines non aequae promptos esse, atque illi putant, ad efficiendas ex positis conclusiones, vt opera doctorum minime ad eam rem egeant: perspexerunt potius, eam esse imbecillitatem et infirmitatem animi humani, vt, fundamentum licet positum sit, officii tamen memoria facile obliteretur. Quid? quod intellexerunt, cum sollicitationibus tum externis tum internis, mortalibus saepe conflictandum esse, facileque fieri posse, vt iis vincantur, nisi, posito licet adcuratissime fundamento, identidem officii sui admoneantur. Accedit, quod ratio illa, quam commendamus, maxime opportuna est, ad redarguenda vitia, virtutibus contraria, si homines officii sui admoneantur. Facile enim colligere possunt, se ita animis adfectos nondum esse, vt illos esse oportet, quorum imaginem animi et vitae fidelis ecclesiae minister expressit. Agnouerunt denique Apostoli, valde incongruens esse, praecepta ad vsum vitae conformandum pertinentia seorsim dare; sed omnino consentaneum esse, vt officia exposito recte
 fun-

fundamento, i. e. ex fonte fidei ducantur: sic enim Paulum rem instituere, ex epistola ad Romanos adparet. Fusius enim quum de Christo dixisset a capite II. ad VIII. capite demum XII. ex illo loco adcurate tractato ducit illam suam Ethicam, cui omnis Aristotelis aliorumque quorumcunque Philosophorum Ethica comparata, merito sordet. Item in epistola ad Ephesios capite I. II. et III. pulcherrime et sanctissime agit de Euangelio, de mysterio Christi, genibus enunciato: deinde vero ex hoc ipso fonte ducit doctrinam illam moralem, quam complectitur caput IIII. V. VI. Ad hanc ergo docendi rationem Apostolicam coniungendum fundamentum est cum eo, quod fundamento imponitur.

b) Animaduertenda autem etiam atque etiam est in disciplina rerum moralium tradenda dissimilitudo quaedam: Possunt enim praecepta morum et vitae vel ex lege vel ex euangelio erui. E. g. quando Paulus in epistola ad Ephesios admonet maritos de officio suo, nempe de vera et christiana et castissima caritate, qua complecti debeant vxores: tum petit argumentum ex visceribus doctrinae de Christo et eius amore, quo complectatur sponsam suam ecclesiam. Si quis intueatur curatius illam docendi rationem, qua ibi Paulus utitur: certe facile intelliget, longe aliud esse,
vita

vitia redarguere, virtutesque imperare, prouti lege est praescriptum; aliud vero de officio christiano praecipere, mouentibus euangelicis propositis. Accedat ergo ad hanc rationem necesse est prudentia pastoralis, non externa quaedam, sed diuina, qua vsque ad eum finem praeditus esse debet minister ecclesiae, vt etiam de illo non cogitans, sed quasi natura in id propensus praeepta officii ita tradat, sicut ab ipso Christo et Apostolis tradi sunt solita. Quae si cogitassent, qui in contrariam partem labuntur, putantes sufficere, si fundamenta tantum rite ponantur in animis auditorum, nec opus esse, vt adiiciantur monita externa ad corrigendos formandosque mores et vitam mortalium: certe se tenuissent hac in re finibus Christi et Apostolorum. Verendum vero est, ne multi senescant in officio ecclesiastico, qui de illa ratione docendi Christi et Apostolorum ne quidem suspicati sint.

Ad alterum hoc igitur Aphorismi praeeptum quod attinet, patet illud sane latissime. Nam si spectemus priscae ecclesiae statum, multum is a praesentis ecclesiae statu differbat. Illo enim tempore non perinde, atque hodie, id vnum quasi caput existimabatur in procuratione muneris ecclesiastici, vt tantum orationes in concione haberentur; sed praeter illud Apostoli, et

Fr. Obs. Past. P. II. *Vy* qui-

quicumque ab illis Presbyteri erant constituti, versabantur in grege sibi commisso, omne studium suum in procuranda salute animarum collocantes. Adeoque, quando Paulus a Tito exigit, ut loquatur de iis, quae conueniant sanae doctrinae: fieri sane non debet, ut hoc officium finibus cultus publici circumscribamus; sed pertinet praeceptum Apostoli simul ad omnem consuetudinem, usum et necessitudinem, quae intercessit presbyteris cum ecclesia. Licet enim ipsum diei dominicae tempus, et multiplex occasio, certis et statis temporibus ad populum verba publice faciendi, non excludatur: attamen quando Apostolus ait: *Loquere, quae conueniunt sanae doctrinae*; loquitur de omni sermone, qui habendus fuerit, siue publice, siue priuatim, siue apud plures, siue apud pauciores, siue etiam apud singulos auditores, prout occasio tulerit. Est hoc etiam in plurimis aliis rebus obseruandum, ne statum veteris ecclesiae hodiernis moribus et institutis iudicemus; quoniam multa egregia, quae olim in usu erant, ita obsoleuerunt, ut pauci hodie de iis cogitent. Adiuuat haec obseruatio veram N. Testamenti interpretationem, quoniam multa minus recte explicari necesse est, si quis praesentem ecclesiae statum, statui veteris Apostolicae per omnia similem esse putet.

Quod

Quod si igitur hoc expendatur, facile adparet, Paulum non necesse habuisse seorsim monere, vt ministri ecclesiae publice certis temporibus verba facerent, omniaque ad vsum transferrent; sed comprehendere hoc praecepto voluisse omnia ecclesiae ministrorum in munere didascalico officia, priuatim etiam in ecclesiis, quibus praecerant, praestanda. Quod si vero ad nostrum, in quo nunc collocati sumus, statum haec voluerimus adcommo- dare: tunc omnino ante omnia praecipien- dum est ministris ecclesiae, ne vllam publice docendi occasionem temere dimit- tant, quo minus statis diebus ad populum verba faciant, sanaeque disciplinae Chri- sti conuenienter populum doceant; inter- im tamen illud etiam quam maxime vr- gendum, vt priuatim quoque ea in re ela- borent ac prouideant, vt publice dicta ad vsum a singulis transferantur. Atque eo magis hac separata admonitione opus est, quo magis inhaeret nonnullorum ecclesiae ministrorum animis illa opinio et penitus insita est, se satis fecisse officio suo, si die- bus Deo sacris verba fecerint ad coetum sibi commissum; reliquis autem sibi deli- tescere licere in museo suo, abiecta omni gregis sui cura, non aliter, ac si diebus do- minicis tantummodo pastores essent consti- tuti, non etiam sex diebus reliquis. Mi-

nima sane censenda est pars muneris ecclesiastici, diebus dominicis semel vel bis ad populum verba facere: maxima potius cura omnino in eo ponenda est, ut ad vsum transferantur, quae secundum sanam doctrinam tradita fuere.

Pertinet huc locus ille plane eximius, ubi Paulus Act. XX, 17. sermonem habet cum Presbyteris ecclesiae Ephesinae: *Misis autem Mileto arcesfuit Presbyteros ecclesiae, qui quum ad eum venissent, dixit eis: Vos scitis a primo die, quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni submissione, inter multas lacrimas et calamitates, quae mihi illatae a Iudaeis insidiantibus; ut nihil reticuerim eorum, quae vobis conducerent, quo minus ea vobis adnunciarem et docerem vos publice et priuatim, testans Iudaeis simul et Graecis conversionem ad Deum, et fidem, quae est in Iesum Christum Dominum nostrum.* Notemus hanc animi submissionem Paulinam, has lacrymas Paulinas, has calamitates, hanc adnunciationem euangelii, factam publice et priuatim, hanc testificationem tanto spiritu, tantaque perseverantia et constantia ab ipso factam. Pertinet etiam huc locus egregius 2 Tim. III, 30. *Tu vero perpexisti doctrinam meam, vitae meae rationem, propositum, fidem, caritatem,*
tole-

tolerantiam, vexationem, perpeſſiones. Vbi videmus, qua ratione Paulus laborauerit, implere omnes officii fui partes. Cogitandum etiam eſt, qua ratione ipſe Dominus ac Seruator noſter Euangelium adnunciauerit, non certe hoc illoque tempore tantummodo orationem aliquam habendo; ſed omnes curas, cogitationes, ſermones, mentem denique omnem conferendo ad ſalutem animarum, vt omni ratione paſcerentur: quemadmodum Paulus etiam de ſuo miniſterio loquitur I Cor. VIII.

Quaerenti itaque ex me, qua ratione miniſter verbi diuini curare debeat, vt ea, quae publice docuerit ſecundum ſanam doctrinam, effecta reddantur; reſpondeo, *fieri id debere per colloquia, cum auditoribus habenda, quorum occaſio vel ex inſtituto quaerenda, vel, ſi forte oblata fuerit, non dimittenda eſt.*

Et primo quidem ex inſtituto id agere debet miniſter eccleſiae a) *ſi forte ad illum delatum ſit, eſſe inter auditores, qui turpiter ſe dando, nuncioque virtuti remiſſo, in huiusmodi turpitudinem ſit delapſus, vt aliis offenſioni fuerit. Quod ſi accidit, certe ad officium miniſtri eccleſiae pertinet, quaerere cauſam colloquendi cum eiusmodi homine: ſiue ipſe monendum conueniat, ſi nimirum ea dignitate et for-*

tuna fuerit, vt commode ad se vocare nequeat; siue eum ad se venire iubeat, si dignitas hominis nihil obstet; qua in re prudentia in consilium adhibenda omnino est.

In ipso vero colloquio *α*) non statim arguendus est, qui criminis alicuius est delatus, sed potius interrogandus est, an fama rumorque, qui de ipso percerebuerit, verus sit. Idque fieri debet modeste, decenter, quaque maxima fieri potest moderatione; ne alter aut pudore confundatur, si fuerit innocens, aut conqueri possit de iniuria sibi illata, quod statim fides allatis criminibus habita fuerit. Cogitare enim omnino oportet, permultos dari, qui falsa multa, magnam veritatis speciem prae se ferentia, comminisci aliosque calumniis in suspicionem adducere soleant; eamque ob causam non esse, quod cuius delatori aures praebeamus patulas. In animo ergo semper habeat ecclesiae minister dictum Ecclesiastici capite XVIII, 15. *Percontare amicum de re; nam saepe existit calumnia: et ne cuius sermone credas.* Cuius dicti veritas vel sexcentis exemplis probari et confirmari posset. Interdum etiam tantam veri speciem res delata habet, vt nihil prorsus dubitationis de eius veritate superesse videatur: et nihilominus, si delatus, vel, vt dici solet, altera pars quo-

quoque audiatur, totum crimen falsum et fictum adparet. Id quod ipse saepe numero expertus sum.

Quod si vero (β) is, qui arguitur rei perperam factae aut dictae, negauerit, se in culpa esse, nec minister ecclesiae habeat; quo illum conuincat: potest quidem id agere ut in animo ipsius aculeos relinquat, ita tamen, ut ne modestiam et humanitatem omittat, neue videatur innocenti confessionem falsi criminis exprimere velle. Moderatio ergo et vera prudentia, quae docet, quid agendum sit pro diuersa temporum et hominum conditione, a DEO precibus efflagitanda et impetranda est, ut vel in primis in hac muneris ecclesiastici parte exploranda caute omnia et circumspicte administrantur.

Saepe etiam (γ) accidit, ut homines, si a pio quodam ministro arguantur alicuius delicti, soleant pro prauitate animi sui partem aliquam sermonis arripere, remque leuiorem negare, saepe quidem iure, sed pessimo consilio, ut nimirum ipsum crimen satis verum eo commodius inficiari delatoresque suos, falsitate vnius alicuius et quidem leuioris rei, conuincere mendacii queant. Quod si fit, huiusmodi homines haud raro magna cum adseueratione contendunt, se innocentes esse, id simul intra se tacitum cogitantes, partem ali-

quam criminis et quidem admodum exiguam falsam esse. Non crediderit facile quis, rem hanc tam frequenter euenire, quam reuera vsu venire solet ministro ecclesiae. Consuetum enim fere hoc est hominibus, qui non habent verum pietatis sensum, vt vna alteraue re, cuius arguuntur, non ita se habente, vt a ministro ecclesiae exponitur, statim conquerantur de iniuria sibi a delatoribus facta, deque nimia credulitate illius, qui hominibus maleuolis adeo facile aures praebeat; et quae sunt aliae eius generis querelae. Prudentia itaque adhibenda, et potius *ipsum factum generatim tantum explicandum est*, praetermissis rebus leuioribus, quae negotio sunt attributae.

Memini certe casus plurimos, qui mihi etiam fungenti ministerio sacro euenire, vbi homines res nonnullas paruulas, quas non poteram facile diuinare, habere aliquid in se falsitatis, saltim ambiguitatis, iactarunt, eoque freti totum crimen negarunt et pernegarunt. E.g. Memini, me certo quodam tempore non neminem monere qui alterum palma percussisse arguebatur: negabat vero homo factum et pernegabat. Tandemque conuictus iniuriae, alteri factae, hanc excusationem proris inficiationis adferebat, quod quidem alterum manu impulisset, non tamen percussisset.

cuffisset et pulsauisset. Sic ergo homo ille, sola verborum ambiguitate fretus, iniuriam alteri factam inficiabatur. Taceo iam causas similes alias, haud raro incidentes.

Pertinet huc etiam δ) illa obseruatio, *non nimis fidendum esse memoriae*. Facile enim partes quaedam narrationis aut non recte percipiuntur, aut non accurate memoria custodiuntur; has postea arripere et ad suae causae commoda trahere, facile est iis, qui redarguendi sunt. Itaque magnam in munere sacro adfert vtilitatem, si quis ad manus habeat diurnum aliquod, atque in illud omnia, quae narrantur, statim referat, vt deinde memoriae consuli queat: immo huiusmodi diurnum in rebus maxime necessariis in munere pastorali fungendo habendum est; fieri enim non potest, vt quis omnia, quae narrari solent, memoria aut comprehendat aut teneat. Quod si vero semper ad manus sint ephemerides, incommodum illud optime vitatur. Eueniet ergo saepe, vt, si aliquem ex auditoribus redarguat minister ecclesiae, ille in alios transferat culpam; nōminetque plures, qui criminis atrocioris rei sint; ob eamque causam magis redargui mereantur. Sic ergo minister ex eo multa cognoscet, quae illum antea prorsus fugiebant: quae omnia illo,

quocum ipsi tum res erat, dimisso, quantum fieri potest, litteris consignanda, et in commentarios rerum pastoralium referenda sunt. Memoria enim saepius nos deficit, ex eoque fit, ut ea, quae maxime monenda erant, tacita praetereant, non perfidia ministri ecclesiae, sed memoriae imbecillitate et obliuione. Quod si vero semper ad manus sit diurnum, facile rerum ante actarum memoria reuocari potest: immo si res aliquando in iudicium veniat, tum huiusmodi commentarius pastoralis magno potest esse praesidio. Quod si enim in has ephemerides diem, rationem, gradus etiam admonitionum, quibus ad auditores emendandos usus est, diligenter et accurate retulerit: his sane omnibus mirum in modum adiuuabitur, si in ius vocatus fuerit; nec minus negligentiae poenas tum dabit, si ea, quae praecipimus, minus curauerit.

Porro vero ε) obseruandum est, posse interdum reprehensiones huiusmodi lites excitare in familiis, adeoque in ingens malum euadere, nisi prudentia a ministro adhibeatur. Solent enim plerique facile delatoribus grauer irasci: quamobrem *quantum fieri potest, delatoris mentio omit-tenda est.* Non enim verbi diuini minister iudicis personam sustinet, ut illum oporteat aduersatorem indicare, testesque dare

dare : quod si ergo alter factum vel dictum negauerit, adquiescendum sibi sciat, eumque admonitum dimittat.

Interdum vero res ita comparata est, vt facile quis possit diuinare, a quo delatus fuerit : tum turpe foret ministro ecclesiae, mentiri et negare, rem ita sese habere ; potius si tale quid incidat, horrandus est, qui rem aliquam defert, vt gloriae Dei seruiat, nec diffiteatur, se esse illum, qui rem detulerit. Dicendum ipsi e. g. est : Tu vero saluti focii vitae consulere videri vis : ne ergo, si res ita poscit, nomen tuum profiteri dubites. Quod si enim, qui turpiter se dedit, ad officium redibit, tum tibi adeo non succensabit, vt potius factum tuum in optimam partem accepturus sit : si vero ob exhortationem indignatur ; tu tamen religioni et fidei satisfacisti, licet offensam alterius et similitatem susceperis. Quod si ergo ab omni fraude alienus es, tibi que et gloria diuini numinis, vitaeque focii salus curae cordique est : aequo animo et moderate fer, si quid tibi durius inde acciderit, eoque ipso testatum fac, te non vanum et maleuolum indicem fuisse, sed alterius saluti sincere consulere voluisse. Equidem, quod ad me attinet, curate nomen tuum tacebo : quod si vero alteri prorsus ita videatur, a nemine alio, nisi a te rem totam
pro-

profectam esse; tum sane me istud scire, dissimulare nequeo. Nec est denique, quod dicas, factum mihi delatum in pectore clausum tenendum esse: qui enim, quaeso, misero isti perditoque homini, meaeque religioni consuleretur? fatius sane fuisset, ut aut ipse alterum exhortatus esses, aut me de tora re celasses.

Interdum vero in huiusmodi causis prudentia adhibita periculum iurgiorum metuendorum praecaveri potest. V. g. Si vxor maritum criminis alicuius insimulans dicat: Si hoc rescuerit maritus meus, se a me esse delatum, certe infortunium feram: quid tum faciendum? Respondeo: Minister Ecclesiae potest accersere ambos, eosque percontari de ratione viuendi; denique addere potest: Ad aures mihi peruenit, rixas mutuas inter vos intercedere. Per Deum ergo vos obtestor, ne mihi factum reticeatis: pro amore enim, quo vos complector, et pro muneris, quod sustineo, sacri ratione consulere vobis, et bella vestra pro viribus componere cupio. Perpendite, quaeso, nullum fere acerbius malum esse, quam si coniuges animo et voluntate inter se dissideant. Adeste ergo, ingenueque confitemini causas, quae gratiam vestram coniugalem huc vsque tantopere exulcerarunt. Hanc fere rationem ingressus verbi diuini minister sentiet,

riet, plerumque illum, in quo culpa maxime est, imprudentia et perturbatione animi abreptum, faciliorem fore ad causas iurgii exponendas: atque ita cauebit, ne alter alterum in suspensionem delationis adducat. Ex his ergo adparere puto, quanta in colloquiis priuatis adhibenda sit prudentia, ab omni si quis astutia, fraude et simulatione temperare, grauioriq; malo occurrere velit.

Ad colloquia cum auditoribus dedita opera instituenda b) *aptum imprimis est tempus illud, quo quis adhiberi cupit ad sacram coenam.*

Nam eo quidem tempore, α) *ii non sunt sine admonitione dimittendi, quorum mores merito culpandi sunt.* Nemo enim temere et sine exploratione ad epulas sacras adhibendus est. Et maxime hic notanda sunt loca illa satis egregia in Apologia Augustanae Confessionis, pag. 250. vbi dicitur: *Fiunt apud nos missae singulis dominicis et aliis festis, in quibus porrigitur sacramentum his, qui uti volunt, postquam sunt explorati atque absoluti.* Et pag. 262. *Populus utitur (sacramento,) prius institutus et exploratus. Docentur enim homines de vero usu sacramenti.* Immo pag. 24. dicitur: *Adsuevit populus, ut vna utantur sacramento; NB. si qui sunt idonei. Id quoque auget reuerentiam et religionem publicarum*

carum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati.

An hodie ita se res habeat, fortasse considerari meretur. Satis enim est in promptu, promiscue plurimos adhiberi. Certe non sufficit, haec a maioribus nostris scripta scire; nec sufficit, profiteri, nos sequi formulam doctrinae a maioribus compositam, ac probare Augustanam Confessionem, Apologiam, et reliquos libros Symbolicos: sed oportet nos etiam servare praescripta maiorum nostrorum, iisque sedulo parere, ne falsa et vana sit gloria nostra. Aliud enim est confessio et absolutio, aliud exploratio. Nam in confessione omnia fere in eo a plerisque ponuntur, ut carmen precationis, quod in eunte aetate ad verbum edidicerunt, decantent, explorationi vero nil fere loci relinquitur.

Quum ergo hodie coeruum plerumque ratio ita comparata sit, ut quam plurimi inveniuntur, de quibus non immerito dubitet minister ecclesiae, an sint idonei: certe non potest fieri, quin ipsi multum temporis in id impendendum sit, ut sollicitè animos hominum exploret, atque exquirat, utrum ii, qui externam peccatorum confessionem faciunt, vere agnoscant peccata sua; et vero et ab ipso Deo effecto peccatorum dolore ita sint adfecti,

ut

vt gratiam Dei, veniam et salutem votis, precibus ardentique studio experant. Haec enim secundum Libros Symbolicos ante sunt exploranda, quam ad sacram coenam homines adhibeantur. Exploratio vero illa in loco confessionis fieri recte vix aut raro potest. Nam *primo* non tantum temporis, quantum satis est, ibi conceditur. Vrgent reliqui, qui etiam in conclauae confessionis admitti volunt. *Deinde* conclauis ratio saltem plerumque ita comparata est, vt satis secreto cum hominibus agi nequeat. Solent reliqui, qui confessionis causa accedunt, tam prope adstare, vt omnia auribus percipere possint, quae alter rogatus respondet et confitetur; vnde confitentes propter reliquorum praesentiam facile pudore confunduntur. *Accedit*, quod existimant confitentes, animi sui attentionem impediri, si de peccato aliquo speciatim admoneantur; id quod ecclesiae ministris saepius obiicere solent. Et licet nullius momenti sit obiectio illa: nihilominus tamen facile perturbantur, vt propositum assequi non liceat. *Denique* si maxime fieri possit, et instituaturs eiusmodi colloquium in loco confessionis cum confitente: quem fructum te laturum putas, si tibi antea prorsus incognitus fuerit? Quod si enim minus idoneus reperiatur, an absolueudus? Nonne contra fidem et
 reli;

religionem faceret minister ecclesiae, si ad eo facilis esset? Nonne facile accidere posset, ut confirmaretur in accusabili securitate, qui, licet minus idoneus minusque institutus et praeparatus, a ministro ecclesiae leuiter modo admonitus adhiberetur coenae? Quod si vero illum reiicere velis, offendetur, et existimabit, se ex communitate ecclesiae exterminari, inprimis si res fuerit insolita.

Ex dictis itaque, ut spero, satis adparet, quantas difficultates effugiat verbi diuini minister, si prius, quam confitentes audit, colloquium priuatum cum iis instituat, quos ad confitendum accessuros nouit. Hac enim ratione non facile exacerbatur, qui de vitae morumque suorum prauitate admonetur, aut si admonitionis impatiens, animo forte commoueatur; eo meliori iure tamdiu vsu sacrae coenae prohiberi potest, dum in se descendat, aut saltem meliorem spem faciat.

Minime vero cogitandum est, ministros verbi diuini rum satis habere posse, si haec fecerint; sed sciendum, potius opus esse, *§) ut illo inprimis tempore cum reliquis etiam auditoribus, qui vitae integritati student, colloquia pia instituant.* Pro certo ponendum est, partes ministri ecclesiae esse, ut cum quibusuis auditoribus, nulla prorsus re id impediante, priuatim

uatim

uam colloquatur de re christiana, de progressibus in christianismo, de impedimentis, quibus progressus in christianismo saepe retardatur, denique de iis omnibus, quae ad adiumenta et impedimenta rei christianae vlllo modo pertinent. Et haec quidem res tanti est momenti, vt, qui illius curam temere abiicit, minime officii sui partes explere credendus sit.

Hoc velim inter praecipua, quae traduntur, praecepta numerari, et quam altissime in animos auditorum demitti, vt, si aliquando muneri alicui ecclesiastico praeficiantur, cogitent ac statuunt, hoc vel maxime requiri ab ipsis, si velint pastores fideles esse et numerari, vt colloquia dedita opera instituant cum auditoribus. Vfus enim illos docebit, in tanta plerosque auditores rerum maximarum ignorantia versari, vt vix ac ne vix quidem dicta publice ad vsum transferre queant, immo ne rem quidem ipsam, oratione tractatam, intelligentia fatis et ita comprehendant, vt praeceptis nostris animum, mores ac vitam rite conformare queant. Deprehendent interdum, esse auditores adeo rudes et imperitos rei christianae, ac si nunquam vel fama aliquid de doctrina christiana accepissent; quin intelligent, quam plurimos de illis respondere non posse, quae centies immo millies dicta fuerunt. At

inde demum adparet, quantae sit necessitatis, non tantummodo publice verba facere ad populum, sed et instituere colloquia priuata.

Nec existimandum est, auditores melioris notae non indigere eiusmodi colloquiis: nam etiam optimi qui videntur, hortandi omnino ad strenue pergendum in christianismi cursu, nonnunquam etiam vota precesque cum ipsis fundendae sunt. Qui enim veram illam et ab omni fucō alienam pietatem colit, cum tantis tamen nonnunquam difficultatibus conflictatur, vt facile opprimatur, nisi se totum fideli verbi diuini ministro patefaciat. Doctoris ergo est, tam amice atque familiariter cum piae mentis auditoribus versari, vt aditum sibi ad intimos illorum animi recessus patefaciat, quo, quum in summas rediguntur angustias, sine dubitatione ad illum confugere, ab eoque consilium petere possint. Nisi enim hoc faciat, facile est Saranae, hosti illi piorum infensissimo, illos tot erroribus et laqueis implicare, vt expedire se ipsi nequeant, ac tandem animum abiiciant, inscii, quid agere quidue suscipere debeant. Nihil ergo doctori magis curandum est, quam vt bene animatorum auditorum fiduciam sibi conciliet, quo etiam intimos animorum motus ipsi aperire et in ipsius sinum effundere nulli dubi-

dubi-

dubitent. Quis vero est, quin intelligat, ad huiusmodi necessitudinem constituendam permultum facere colloquia priuata?

Quod si denique occasio ipsi detur, Deo cum ipsis supplicandi: aditus certe ipsi patefactus erit, liberius eos exhortandi, ne *spiritu bene cepta carne finiant*, sed cum primis extrema contexant, salutis nostrae auctoris vocem ponderent: *Quicumque me adit*, inquit, *at vero non quibusuis renunciat*, *in numero discipulorum meorum reponi nequit.* Et Luc. XIII, 26. *Si quis venit ad me, nec odit patrem suum ac matrem, et uxorem et liberos cet., non potest meus esse discipulus.* Nec vero segnes exacuet tantum languentesque, sed et excitabit prostratos, hortans illos, vt se colligant, difficultatesque quasuis alacri ac praesenti animo, omnique contentione adhibita, superare nitantur.

Ad eandem certe metam adspirare non licet publica oraculorum diuinorum declamatione. Ita enim fere comparatum esse solet, vt, qui animo se sanari pariantur auditores, difficulter solatia euangelica admittant, conscientia imbecillitatis suae tenuitatisque virium in bono deterriti: cum e contrario, qui omnem animi curam abiecerunt, audaciori quodam eoque praepostero incepto et conatu arri-

piant, quae nullo modo in se transferre debent. Quod magni sane momenti incommodum vitari facile potest, crebriora si cum piis colloquia familiaria instituantur.

Caeterum ad hanc ipsam disputationem, de instituendis colloquiis cum auditoribus, pertinet etiam c) argumentum *de salutationibus domesticis, von Haus-Besuchungen*, quae in iure ecclesiastico per constitutiones publicas haud raro sunt imperatae. Possunt hac de re inprimis videri constitutiones ecclesiasticae Principis Gothani ERNESTI, qui PIVS vulgo cognominatur, quae in vnum volumen coarctatae ante paucos annos recusae sunt Gothae, congestae vero a D. IO ERNESTO GERHARDO, summo tum temporis ecclesiarum illarum antistite, sanctiorisque consilii adfessore; dignae sane, quae in hoc negotio auditoribus etiam atque etiam commendentur. Quod enim ad me attinet, non diffiteor, me illas tanti facere, ut reliquis propemodum omnibus longe praeferendas arbitrer. Habent enim illum auctorem, qui non solum disciplinam rerum diuinarum a Luthero correctam summo studio tenebat, sed etiam ipse vitam suam moresque ad leges a se latas conformabat. Utinam Germania plures huiusmodi principes habuisset.

Quod-

Quodsi vero alicubi mandatis publicis nihil de salutationibus domesticis comprehensum sit, ministro ramen ecclesiae non difficile erit, sua sponte instituere colloquia ad exemplum Pauli Act. XX, 20-31. Quis enim vitio verteret ministro ecclesiae, si inuisat eos, quos publice instituit, et in progressus eorum priuatim inquirat, quos videt, sibi aliquoties per hebdomadam aures praebere attentas? Supina certe negligentia foret, ne quidem cognoscere velle, quem auditores fructum ex toties reperita verbi diuini adnunciatione per ceperint.

Negari tamen non potest, eiusmodi salutationes domesticas obnoxias esse quam plurimis vitiis. Quod si enim *publica auctoritate* magistratus sanciantur, degenerant frequenter, et ita vanescunt, vt nihil fere suscipiatur, nisi vt frigidae quaedam quaestiones et ponantur, et audiantur, ac deinde pergatur ad alias aedes. Quamnam vero quaeso inde vtilitatem redundare putas ad pium DEI internumque cultum, si pastor aut diaconus totam per urbem vltro citroque commeat? Quid, quaeso interest, si singulae familiae interrogentur, vtrum ad sacram coenam iuerint, nec ne? Factum inde est saepius, vt fideles ministri eiusmodi concursationes aedium priuatarum recusauerint, probe
 313 intel-

intelligentes, esse illas simulatae quidem, sed non verae pietatis effectrices. Quod si vero *sua sponte* doctores ecclesiae auditorum domos visant, facile in aliud vitium incurritur. Putant enim auditores, aliquem honorem pastori habendum esse, ne talis vir frustra venisse videatur: quae mala vero inde oriantur, prudentiores per se haud difficulter intelligent. Dereliquo facile etiam fieri solet, ut auditores minus bene comparati sint ad colloquium aliquod instituendum de rebus sacris cum ministro. Si enim accedat ad nec opinantes, facile inueniet eos curis domesticis distractos: hinc facile succensibunt intempestiue accedenti; nonnullis enim maectantibus, aliis lauantibus, aliis in horreis occupatis, atque adeo prorsus insperantibus atque inuitis superueniet. Quid vero verbi minister cum his hominibus incipiet, qui de aduentu eius improviso non cogitarunt et perterriti adstant? Ea propter hoc moneo, quia exempla mihi nota sunt pastorum ecclesiae fidelium, qui propter eiusmodi impedimenta plane his salutationibus domesticis renunciauerunt.

Verum enim vero iniquum est, propter vitia enumerata rem abiicere, quae per se sane est vtilissima. Est autem hoc negotium sapientiae, quae non potest legibus definiri aut praecipiendo tradi.

Cir-

Circumspicienda sedulo doctōri occasio est, qua vti possit auditores suos conueniendi, instituendique cum iis sermones. Idcirco non alienum videtur, 1) aditus si futurus aut subindicetur, aut rogetur, quo tempore se conueniri velint, vtrum die festo an profesto? 2) Cauendum etiam atque etiam est, ne conuiuium aliquod adparetur ad accipiendum laute pastorem. Si quid enim est, quo auctoritas verbi diuini ministri labefactari potest, certe illud est, quando cum auditoribus, imprimis profanae adhuc mentis, accumbit, prandet, aut coenat, iocisque et faceriis conuiuium producit. 3) Caueat denique gestus indecoros et mimicos nec minus simulatam et odiosam grauitatem, quae arrogantiam et fastum arguat. Suauis vero sit oratio; quam quidem vitae morumque integritas optime finget et conformabit, vt ne quid aut leuitatis aut tristitiae habeat.

Pertinent huc porro d) *colloquia cum aegrotis instituenda et morientibus*. Illius enim temporis rationem vel imprimis habendam esse, qui non videat, credo, fore neminem. Nonne enim homines lecto fatali adfixi solent aliquando effrenatam illam audaciam, ferociam, peccandique libidinem detestari? Nonne admonitionibus ad salutem ipsorum spectantibus, tunc tandem locum relinquere interdum con-

fueerunt? Praestantius fere nihil hac de re legi poterit, quam STEPHANI GAUSSENI succincta illa dissertatio, quam libello suo de *methodo studii theologici* subiecit, quaque docet, quomodo rite cum aegrotis conuersandum sit.

Denique e) si ministro ecclesiae curae cordique est, ut ea ad usum transferantur, quae publice ab ipso monentur, *instituire exercitationes pietatis priuatas inter auditores suos iisque praeesse*, nullus dubitet. Eiusmodi enim exercitationes priuatae pietatis insignem omnino usum habent, licet ipsorum abusus non omnino negandus sit, propter quem tamen usus (*) eorum minime tollendus est. Quod si ergo ipsi integrum sit, (neque enim interdum per magistratum licet, saepe etiam prudentia et malitia hominum illud prohibet,) instituire ac moderari eiusmodi exercitationes pietatis priuatas, quibus se praesente auditores utantur ad colloquendum de rebus ad animae salutem spectantibus, seque inuicem excitandum ad cursum pietatis incipiendum, et si inceperunt, strenue tenendum: maximam inde percipiet utilitatem.

Quae

(*) De usu et abusu exercitationum pietatis priuarum passim ex instituto egit B. SPENERVS in Consiliis suis Germanicis atque Latinis.

Quae enim auditores audiunt ex ore verbi diuini ministri, facile in eam partem accipiunt, vt opinione ducantur, dici ea, officii magis necessitate ita exigente, quam rei grauitate. Quod si vero aliquis ex auditoribus eandem rem percipiat ex ore alicuius ciuis, qui pari fortuna est: tum non amplius potest eam rem ex eiusmodi opinione interpretari. Accedit, quod ipsi auditores magis accommodate ad reliquorum auditorum statum, intelligentiam, ac denique rerum domesticarum rationes loqui soleant. Quod si enim aliquis ciuis, aliquis paterfamilias, qui vera et genuina pietate praeditus sit, disserat, aliis ciuibus praesentibus, de iis, quae ad christianam institutionem vitae communis pertinent; si, qua ratione impedimenta superet, exponat: tum illa omnia, si debita prudentia et modestia dicantur, ita a praesentibus reliquis auidissimis auribus accipiuntur, gratulantibus sibi, quod cognoscere licuerit, qua ratione eiusmodi impedimenta superari queant. Quid? quod vsus satis docuit, in eiusmodi exercitationibus pietatis ciues et homines illitteratos solere esse apertiores litteratis, quippe qui, vt fere callidiores cautioresque sunt, magis solent tegere vitia sua, naeuos suos, incommoda denique, quibuscum ipsis conflictandum est, rati, forte se contentum

iri a reliquis, si libere ingenueque de animi sui statu profiteantur. Contra bonae mentis ciues in huiusmodi colloquiis errores suos libere exponere, nec dissimulare solent, contra quas cupiditates sibi pugnandum sit; simulque etiam profiteri non dubitant, quibus solatiis, quibus adiumentis potissimum iacentes fuerint excitati. Iam si talia fiant praesente ecclesiae ministro, qui omnia prudenter moderari nouerit: omnino is ipse inde magnam percipiet utilitatem, et eiusmodi familiares sermones piorum ciuium subsidio ipsi esse possunt, quo conciones sacras ad statum auditorum interiorum et domesticum, quem alioquin ignorasset, adcommo-
 queat. Summae ergo impietatis esset, huiusmodi colloquia cum auditoribus improbare, aut doctorem id vitio dare uelle, si huiusmodi sermones cum sibi commissis quam diligentissime habere studet. Vitii enim, quae inde existere possunt, occurrendum omnino est, sed non ita, ut res ipsa tollatur. Nam si publicus Deo cultus adhibetur, nemini sane mentem suam animique statum mihi aperire colloquio licet; quoniam tum potius aures attendendae sunt ad ea, quae dicuntur: et si uel maxime cum auditoribus publice preces ad Deum mittere liceat, familiaribus certe sermonibus, nec tempus nec locus satis
 aptus

aptus est. Quod si vero eiusmodi colloquia, quibus plures intersint, publice interdantur: eo magis minister ecclesiae operam dare debet, vt priuatim cum paucioribus auditoribus ea ad exemplum primae ecclesiae, 1 Cor. XIII. ita instituat, vt quiuis animi sui sensa proferre possit. Quae res quo magis ad naturam familiarioris consuetudinis accedit, eo minus quempiam offendere poterit.

Sicuti vero res per se, utilissima est: ita Minister ecclesiae omni studio vitabit illius abusum. Quod si ergo v. g. obseruet in eiusmodi exercitationibus pietatis aliquem auditorum vel liberius castigare ordinem sacrum, vel delabi ad insulas aliquas S. litterarum interpretationes, vel sibi alia ratione plus, quam iustum, sumere: tum sibi hoc datum esse credat, vt huiusmodi hominem amice modestia vti et ad se ipsum melius attendere iubeat, simulque etiam vanitatem illius insulae interpretationis placide demonstret, cauens, ne alter pudore confundatur, sed beneuole corrigatur.

Possunt praeterea ministri ecclesiae aliis adiumentis ad hanc rem vt, vt dedita opera colloquia cum auditoribus instituenti occasionem nanciscantur. Inprimis
vero

vero vtile erit, e) *publice interdum mone-
re*, vt auditores priuatim accedant, si quis
v. g. conscientia peccati alicuius angatur,
sententiam verbi diuini minus recte acce-
perit, aut de minus exoptatis in christia-
nismo progressibus habeat, quod conquere-
ratur; aut denique, si alia res sit, ad christia-
nismi rationem pertinens, in qua se con-
silio egere sentiat, et quae sunt reliqua.
Quod si enim minister hac ratione animos
auditorum sibi conciliauerit, id sane obti-
nebit, vt illos in ea, quae publice oratio-
ne sua patefecit, priuatim inducere, et
saepius cum optimis auditoribus, iisque
singulis et bene praeparatis ad salutem
eorum procurandam agere possit.

Vltimo loco f) multum etiam profu-
erit, si *cultus Dei domesticus in ipsis fami-
liis etiam atque etiam commendetur, et qua
fieri potest ratione adiuuetur*; de quo ri-
te constituendo legi potest CASPARIS
SCHADII libellus egregius (*) *de cultu
Dei domestico*.

Neque vero solum dedita opera pia
eaeque priuata cum auditoribus instituenda
sunt colloquia, sed *secundo etiam forte ob-
latae*

(*) *Hauskirch - Büchlein.*

latæ colloquiorum occasiones non sunt dimittendæ. Fieri solet sæpenumero, vt auditores verbi diuini ministrum conueniant, locuturi cum ipso de rebus domesticis, et ciuilibus negotiis. Hoc si fiat, ante omnia quidem ministrorum verbi diuini est, copiam sui auditoribus facere, remque illam externam conficere, propter quam conueniuntur; ne habeant illi, de quo conquerantur, aut quod verbi ministrorum inhumanitatem arguant. Vt enim Christus Seruator noster fuit adfabilis: ita decet etiam omnes ministros verbi diuini esse humanos, eo vsque, vt, si fieri posset, omnibus quasi obuui vltro et expositi sint, non propter res externas, sed vt occasionem nanciscantur, incidendi in sermones de rebus sacris, ad statum auditorum externum rite ordinandum adcommodatos. Cauere autem debet minister ecclesie, si huiusmodi causa incidit, ne praeter necessitatem sermones de rebus externis aut laceſſat, aut longius, quam necesse est, producat; qua in re multi sane peccare solent. In eo potius oportet imitari ministrum ecclesie Christum, vt, quam fieri potest, paucissimas res auditorum externas expediat, ac sermones de rebus spiritualibus instituat, rebus externis missis, et ex iis causa modo commodioris transitus ad argumentum spiri-

spirituale et longe nobilius quaesita. Hoc nimirum more Christus vti consuevit, quod videre est in historia Euangelistarum, e. g. Io. III. Quum enim sermo ductus esset ab aquis externis, statim ad sermonem de aquis viuis delapsus legimus, quas ipse tanquam fons vitae praebeat. Conf. et Io. VI, 26-38. nec non Luc. XIII, 1-15 et seqq. Hanc itaque sapientiam Christi non modo christianum quemlibet, sed in primis ecclesiae ministrum imitari decet.

Pertinet huc liber ille, qui inscribitur: GOTTHOLDI (*) *fortuitae meditationes*. Eo enim libro via monstratur per exempla quam plurima, qua ratione commode veniri possit ab argumento aliquo externo ad argumentum sacrum et spirituale; et quomodo res omnes, quae usu veniunt, quaeque videntur vel audiuntur, possint nobis commodam suppeditare causam meditationis sacrae, vel colloquii spiritualis vere utilis et ad aliorum emendationem pertinentis. Memini, sacrorum antistitem quendam ex libro hoc, a CHRISTIANO SCRIVERIO conscripto, quaerere et reperire causam emendandi domesticos suos, eo quidem pacto, eos ut super mensam interrogaret; quid

< * > Gottholds zufällige Andachten.

quid secum eo die, occasione rerum externarum, quas viderint vel audierint, commentari essent soliti. Et res quidem illa viro illi optime et ex sententia succedebat, ut hac ratione seruis et ancillis, et liberis etiam paruulis facultatem praeberet, super mensam, non sine oblectatione animi, et insigni utilitate de rebus spiritualibus loquendi. Et certe tempus prandii et coenae admodum opportunum est, colloquia salutaria et vtilia instituendi.

Propterea etiam nunc in transcurso repeto, quod alias pluribus monui, in Synodo Toletana praeceptum fuisse *Praelatis*, ut epulantes, sacras litteras praelegi curarent: *Ne fauces*, (quae verba sunt concilii,) *quum sumant cibum, aures esuriant verbum diuinum.* Quod, cum per se verissimum et vtilissimum praeceptum sit, etiam nobis datum putare debemus. In ministerio enim ecclesiastico frequens occasio datur, auditorum suorum utilitati piis colloquiis inseruendi. V. g. licet maxime cauendum sit ministro verbi, ne frequens intersit conuiuuiis, illud tamen interdum non prorsus euitare potest. Iam vero, nisi in eiusmodi conuiuuiis sciat pia quaedam colloquia instituere cum reliquis conuiuuiis; nisi quoque a rebus externis causam aliquam colloquiorum auditoribus

bus conducentium petere sciat: facile reliqui conuiuiae pro sua deprauata animi adfectione tempus illud sermonibus inutilibus et pestiferis consumunt, conculcantes hac ratione praesentiam, et quam eius praesentia habere debebat, auctoritatem ministri ecclesiae. Quod si vero ille ad exemplum ipsius Christi, aliorum occupare sermones, aut res externas, quarum mentio forte inciderit, cum alio sermone, qui aliquid ad aliorum veram utilitatem valeat, coniungere queat: attentos certe habebit auditores, conuiuasque vna accumbentes a futili non solum loquacitate arcebit, sed etiam ne ingurgitent se cibo potuque hac ratione optime cauebit, reliquaque vitia admodum frequentia facile euitabit. Magnam sane habet haec res utilitatem.

Idem vero solent expectare patroni a Theologiae Studiosis, quorum fidei liberos suos, ad christianismum et ad optimos mores ac artes formandos, commiserunt, ut sermonem interdum instituant, qui suae ac domesticorum utilitati inferuiat. Quod si vero non adsueti fuerint huiusmodi colloquiis instituendis, et deinde in loco aliquo extraneo fuerint, ubi etiam facile pudor aliquis loquendi animum subire solet, facile accidere solet, ut muti sedeant, ac non paruum molestiam patro-

pátronis exhibeant, qui ne precibus quidem eiusmodi pios et ad aliorum utilitatem adcommodatos sermones euocare et elicere possunt.

Similia solent usu venire in quam plurimis etiam aliis occasionibus, quibus itaque, quasi forte oblati, minister ecclesiae vri debet, vt aliquid boni efficiat. Non tamen negarim, accidere interdum, vt praestet nonnullis, plane tacere, quam male et insipienter loqui. V. g. Nonnulli valde laborant eo vitio, vt ne quidem de diuinis dicentes a ioco risuque temperate possint. Quae consuetudo turpissima sane dignitatem muneris sacri, ipsiusque verbi diuini auctoritatem, haud parum minuire solet. Moderationi itaque animi et temperantiae quam maxime studendum, et ab historiarum ridicularum enarratione, reliquaue vaniloquentia abstinendum est verbi diuini ministro, nisi se ipsum alius deridendum propinare ac de muneris sui dignitate detrahere voluerit.

Nolo hoc argumentum fusius profequi: remitto vero auditores ad ELIAE PRAETORII (*) *Speculum, vitia ordinis sacri viuis coloribus depingens*. Equidem scio, eiusmodi libros aliquanto actiores in redarguendis ipsorum sacri ordinis vi-

Fr. Obs. Past. P. II. A a a ro

(*) Spiegel der Mißbräuche des Predigtamts.

rorum vitii, prauis imprimis ecclesiae ministris valde ingratos esse solere, nec diffiteor, auctorem dicti libri interdum modum excessisse; quod et B. SPENERO in Consiliis Theologicis Germanicis et Latinis de hoc ipso libro iudicium est: interim tamen huiusmodi scripta non prorsus sunt contemnenda, quia multa vere in iis dicuntur, quibus ad nos aliosque excitandos uti possumus, reliquis amputatis, in quibus aut temperamentum non est seruatum, aut indignatio ultra christianum modum elata.

Cap. II, 7. 8.

Per omnia temet ipsum proponens exemplar bonorum operum, in doctrina praestans integritatem, grauitatem, sermonem sanum, qui redargui non possit: ut qui se aduersus opponit, erubescat, nihil habens, quod de nobis dicat mali.

APHORISMVS XIII.

In extollenda et defendenda summa verbi diuini dignitate et maiestate ecclesiae minister non modo totus esse, sed et ad ipsam vitam suam moresque tamquam ad normam et legem

gem

gem reuocare et conformare debet; quo integritate, sanctitate et grauitate sua, ipsiusque sermonis sui sanitate, veritatis hostes pudore confundere possit.

Equidem nihil simplicius esse videtur, quam id ipsum, quod his duobus commatibus Apostolus complectitur: Verum si curatius ponderetur, facile adparebit, non potuisse tam breui accuratius dici, quae ministrum verbi diuini quam maxime efficere rectissime creduntur. Requiritur vero ab ipso, 1) *vt vita eius aliis exemplar sit, quod imitari queant*; 2) *vt doctrina eius omni ex parte se recte habeat.*

Ad primum quod attinet, diximus in antecedentibus ad Aphorismum XII. ministrum verbi diuini ita demum recte fungi officio suo, si et institutionem suam ad commodauerit ad naturam et statum hominum omnium aetatum et ordinum, et curauerit, vt ea, quae docuerit, ad vsum ab auditoribus transferantur. Omni vero modo ex Pauli sententia statuendum est, non posse ministrum verbi diuini rectius curare, vt ea, quae publice docuerit, ab auditoribus ad vitam referantur, quam si proponat semet ipsum *τύπον καλῶν ἔργων*. Quapropter etiam Paulus comma 7. per participium (*παρεχόμενον σεαυτὸν τύπον κα-*
λλῶν
 2 α α 2 λῶν

λαβὴν ἔργων,) coniungit cum antecedentibus, ut ostendat, qua ratione pondus habitura sint ea, ad quae in antecedentibus, commate scilicet 2. ad 6. hortatus fuerat.

Quum ergo turpe sit doctori, quum culpa redarguat ipsum: in medium hic omnino proferendus est locus ille eximius LACTANTII, qui in ipsius institutionibus L. III. c. 16. legitur: „Bona facere, „inquit, oportet potius, quam inclusos „in angulis facienda praecipere, quae ne „ipsi quidem faciunt, qui loquuntur: et „quoniam se a veris actibus remouerunt; „adparet, eos exercendae linguae causa, „vel aduocandi gratia, artem ipsam philosophiae reperisse. Qui autem docent „tantum, nec faciunt; ipsi praeceptis suis „detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, cum ipsi praeceptores doceant „non obtemperare? Bonum est autem, „recta et honesta praecipere: sed nisi et „facias, mendacium est: et incongruens „atque ineptum est, non in pectore, sed „in labris habere bonitatem.”

Qua de re verissime sane iudicauit. Statuendum enim omnino est, nihil fere effici in emendanda auditorum vita moribusque, nisi ministri verbi viuendi consuetudo ipsius doctrinae bene respondeat. Quod si vero, qui in sacro munere constituti sunt, impuram istam Deoque inuisam

sam

fam vitae rationem fugientes, et ab omni improbitate recedentes vitae sanctitati student: animaduertere licebit, auditores quoque, licet non omnes, plures tamen doctrina rerum diuinarum ab ipsis tradita excitari, vt a vitiis recedentes, rectam verae ac christianae virtutis viam ingrediuntur. Vis ergo, quae verbo τὸν πρῶτον est subiecta, noranda maxime est. Vult enim Apostolus, vt vita ecclesiae ministri formam et similitudinem illius exempli quam optime exprimat, ad quod institutione sua animos vitamque auditorum exprimere atque effingere nititur. Idem videmus in Paulo, qui in eandem sententiam, ab omni alioqui vana gloria alienissimus, ad exemplum suum prouocat i Thess. II, 10. 11. 12. Vos, inquit, testes estis et DEVS, quam sancte et iuste et innocenter apud vos, qui creditis, fuerimus: Sicut nostis, quomodo vnumquemque vestrum, tanquam pater liberos suos, hortati et consolati sumus: obtestantes, vt vos revereretis, sicut dignum est DEO, qui vocauit vos ad suum regnum ac gloriam.

Ad alterum vero, h. e. ad doctrinam, quae omni ex parte recte se habere debet, tria requiruntur ab Apostolo.

a) Ἀδιαφθορία seu doctrinae castitas, vt sit prorsus incorrupta, nec quidquam falsi admixtum habeat, sed omni ex parte

Ἄαα 3 doctri-

doctrinae Apostolicae conueniens sit. Abhorrendum ergo ministris ecclesiae etiam atque etiam est a friuolis coniecturis in interpretandis sacris litteris, quarum fundamenta in aqua sunt posita.

b) Σεμνότης seu grauitas quaedam, atque reuerentia, ne, quidquid in buccam uenit, effutiat minister uerbi, et aut temere proferat, si quid hinc uel illinc decreptum exscriptumque sit. Digerenda enim omnino priuata meditatione sunt, quae cum aliis communicari debent, quo auditorum animis rerum dicendarum fides fiat, atque ut ipse sua cum insigni fiducia ab omnibus hostium ueritatis conatibus et iniuriis vindicare possit.

c) Λόγος ὑγιής seu ut doctrina sit sana, quae redargui nequeat, h. e. ut ratio tradendi cum ipsa ueritate diuina suauissime conueniat, quo auditores per doctrinam animis sanari, in fide confirmari, et aeternam salutem ea consequi possint. Act. XI, 14.

Conferendus huc praeterea est egregius VRBANI RHEGII tractatus, in quo egit *de formulis caute loquendi*.

Cap. II, 9 ad finem capituli.

Servos hortare, ut suis heris se subiciant - - nemo te despiciat.

APHORISMVS XIII.

Oportet ministrum verbi diuini veram et Apostolicam formam doctrinae (ὑποτύπωσιν ὑγιαίνόντων λόγων) in intimo animo insitam et comprehensam habere, qualem hic Paulus Tito ante oculos posuit, atque etiam Timotheo (2 Tim. I, 13.) laudauit et commendauit. Formula vero haec conueniens maxime debet esse rationi ac disciplinae Apostolorum, in quam acerrima mentis acie ministrum verbi ita intueri oportet, ut eam sibi ipsi proponat tamquam exemplum fidei, virtutis christianae, diligentiae, consolationis et incitationis quotidianae. Formam hanc Apostolicam in docendo quoque exprimat, et auditoribus suis frequentissime ante oculos constituat; ad hanc legem conformet illorum vitam et mores, ex hoc fonte ducat officia non minus quam argumenta, quibus ad officia praestanda

¶ 4 cohort.

cohortetur; in summa, id agat, vt in eam doctrinae speciem ipse et alii penitus transformentur, Rom. VI, 17. ita Christum adnunciens et omnem hominem admonens, et erudiens quosuis in omni sapientia, vt quemcunque reddat perfectum in Christo Iesu, ad quod Paulus etiam contendebat. Coloss. I, 28.

Ad Aphorismum hunc recte intelligendum, notandum primo etiam atque etiam est, comma huius capitis II. primum per particulam *de* coniungi cum capitis I. commate 10 seqq. Vt enim Paulus illic reprehenderat *ματαιολόγους* et *Φρεναπόιδας*, *vaniloquos et mentium corruptores*, quos dixerat comm. II. *docere, quae non oporteat, turpis quaestus gratia*: ita illis opponit Titum hoc capite II, 1. quem vult loqui, *quae deceant sanam doctrinam*. Et sane vis orationis Apostolicae non intelligitur, nisi haec coniunctio et oppositio per particulam *de* facta animaduertatur. Quod. si vero vis huius particulae recte obseruetur; oppositio illa contrariorum, quam modo diximus, et quae res maxime illustrat, continuo adparet.

Notandum secundo est, capitis huius comma 1. coniungi cum huiusce capitis commate ultimo: *Tu vero loquere quae decent*

mum adfectus ille ardentissimus Paulinus est intelligendus.

Tertio notandum est, capitis huius II. comm. 1. reliqua omnia huius capitis commata consequentia esse, utpote in quibus hoc agit Paulus, ut doceat, quid cuiuscunque ordinis atque conditionis hominibus sigillatim praecipendum, et quomodo quidque ita praescribendum sit, ut sanae doctrinae conveniat, et aptum sit adprime ad vaniloquos et mentium corruptores conuincendos et repellendos, ut adparet ex comm. 2-9.

Notandum est *quarto*, Paulum ex infirmitate mentium corruptoribus se capite hoc integro opponere. Quod enim commate 1. dixerat, idem illud persequitur in sequentibus; e. g. commate 5. ait: *Nesermo DEI maledictis figatur*, et c. 8. Titum exhortatur, ut studeat sanae doctrinae, sermoni sano, quo erubescat *ipse se oppositurus, nihilque habeat, quod iure arguat*. Commate vero 10. omnia eo referri vult, ut doctrina Seruatoris nostri non solum vita et moribus ab omnibus ornetur, sed et ex sua integritate, grauitate, ex fructibus denique, quos ostendant, qui illam recte ac penitus perceperint, sana et vera esse intelligatur.

Quinto obseruandum est, pro probato poni hoc capite II. et inprimis illa peri-

pericopa, quam illustrandam sumimus, idem illud, quod Apostolus alibi, et imprimis in epistola ad Gal. cap. III, 28. et ad Cor. XII, 12. et ad Coloss. III, 11. docet, *in Christo non esse seruum neque liberum, non esse inavem nec feminam: omnes enim esse unum in Christo, et Christum esse omnia in omnibus.* Ex quo Apostolus speciatim hoc loco id, quod de seruis c. 9. et 10. dicit, efficit et seruum, bene seruientem, euangelio Christi esse ornamento confirmat. Potuisset sane hoc ornamenti genus Paulus in describendis officiis hominum reliquorum ordinum, quos monuerat in antecedentibus, commendare: sed non sine graui caussa ad illum locum referuat, ubi seruos praeceptis instruit, quorum quippe vilis conditio dedecori potius esse ecclesiae Christi, quam ornamento videri poterat. Tantum igitur abest, ut Apostolus statuat, conditionem hominum externam detrahare de auctoritate et dignitate doctrinae Christi; ut potius de infimo hominum ordine, qui seruilis apud ethnicos erat, adfirmet, illos doctrinam Christi, si ad illius legem vitam suam moresque conforment, exornaturos esse. Immo eo maior vis inest huic rationi, qua permouere studet seruos ad studium sanctitatis, quo arctius hoc ipsum monitum coniungitur cum doctrina illa subsequente.

Cum

Cum his enim praeceptis, commatibus 9 ac 10 comprehensis, cohaeret exirium illud doctrinae christianae compendium, quod com. 11. et sequentibus continetur.

Notandum autem *sexto* est, comma 11. per particulam γὰρ coniungi quidem cum commate 9 et 10, sicuti iam diximus; cum vero commatibus 12. 13. et 14. summa quaedam doctrinae christianae contineatur, cuius caput est sententia de gratia salutari DEI, cuius vera cognitio et usus totum hominis animum statumque commutat et ad verae sanctitatis studium impellit; ex eo satis adparet, particulam γὰρ, quae legitur com. 11. non tantummodo ad comma 9 et 10, sed etiam eam ad omnia antecedentia praecepta referri.

Septimo notandum est, commate 11. et sequentibus 12. 13. 14. contineri illam ὑποτύπωσιν ὑγιαίνόντων λόγων, quam studiosissime inter pias preces acerrima animi acie intueri oporteat studiis Theologicis addictos, ut animus non tantum verba Apostolorum percipiat, (quod etiam puerorum et solius memoriae negotium foret,) sed vim etiam, et σύνεσιν illam πνευματικὴν, sapientiam vere euangelicam Iesu Christi recte comprehendat et consequatur, et omnia firmissime quasi animo ipsius impressa et inscripta maneant. Quod ipsum illud est, quod Aphorismo expressimus.

Notag

Notandum est octavo, ad penitus inspicendam illam Apostolicæ doctrinae hypotyposin, antecedentia et consequentia omnino accurate inter se esse conferenda. Hypotyposis enim doctrinae non solum consistit in summa doctrinae christianae, his commatibus verbis certis concepta et expressa; sed etiam in coniunctione huius effari Apostolici cum descriptione officiorum christianorum, quae ex doctrina Apostolica ad conformandam vitam discipulorum Seruatoris ducuntur. Immo ipsa haec epistola ad Tirum integra conferenda est cum hoc dicto palmario. Atque hac ratione considerari in primis epistola ad Tirum eum in finem potest ac debet, ut hypotyposis doctrinae Apostolicae recte cernatur. Quod si vero hoc negotium, quod omnibus diuinarum litterarum cultoribus vel in primis curandum est, ex sententia succedere debet, necesse est, ut omni studio conferantur Actus Apostolorum, vna cum reliquis epistolis, quas Apostolis tanquam cimelia ecclesiae debemus. Neque vero ex eis tantum dogmata theologica, ipsaque veritas coelestis disci, sed vera etiam ratio docendi, adhibitis piis precibus et assiduo rerum spiritualium vsu, cognoscenda est, qua Apostoli non modo in conuersione infidelium,

sed

sed etiam in emendatione eorum, qui iam conuerſi erant ad Dominum, uſi ſunt.

Quemadmodum denique *nono* Paulus in epiſtola ad Coloffenſes cap. 1, 28. dicit, ſe contendere illa vi efficaci Chriſti, potenter NB. IN SE agente, atque ea, quam ipſemet in ſe experiatur, uirtute, ut Chriſtum adnunciet, et admoneat et erudiat quosuis in omni ſapientia, ut reddat quoscuſque perfectos in Chriſto IESV: ita nos quoque Aphoriſmo noſtro ſignificauimus, miniſtrum uerbi diuini oportere illam hypotypoſin ſanorum uerborum ante omnia 1) ad ſui emendationem, conſolationem et incitationem, cum uiuida fidei exercitatione et uſu ſibi ſemper proponere, eamque deinde 2) aliis in uirgendis officiis chriſtianis ſubinde laudare et commendare cet. Haec enim eſt recta illa et plana uia, qua deducimur ad ueterem illam diſciplinam Apoſtolicam, ut animus doctoris primum ipſe illam ſanioris doctrinae formam accipiat, et ſic demum in eo elaborer, ut auditores in eandem formam mutantur, et euangelicis cohortationibus ad officium chriſtianum ducantur.

Opta-

Oportet itaque, ut auditores, his auditis, statim animum adiiciant ad sacrarum litterarum lectionem, eo consilio, ut hanc similitudinem doctrinae Apostolicae magis magisque consequantur. Quod commode fieri poterit, si epistolam aliquam Paulinam sibi legendam deligant, non tantum ut ipsas veritates animo comprehendant, sed etiam obseruent rationem docendi Apostolicam, attendentes simul ad statum Ecclesiae Apostolicae, et ad attributiones rerum et personarum, quarum in epistola mentio fit. Habebit haec res singularem omnino utilitatem, futurumque est, ut magis magisque adsuescat animus curatio S. litterarum lectione, sine qua non tantum emendatio sui ipsius, sed etiam muneris ecclesiastici legitima atque salutaris procuratio nulla erit. Nemini quoque vitio vertetur, si optimos quosque commentarios, ad inuestigandam dicti alicuius sensum, in consilium adhibeat.

Iniunge ipsis, ut principibus ac potestatibus subiecti sint, ut obtemperent, ut ad omne recte factum parati sint. Ne cuiquam maledicant, ne sint pugnaces, sed moderati, omnem exhibentes lenitatem erga omnes homines cet.

Paulus comm. 1. 2. monitum aliquod superioribus adiungit, quo generatim vult per Titum omnes moneri, ut et subiiciant se lubenter magistratui, et leniter, demisse et modeste se erga omnes homines gerant, inprimis erga homines a fide christiana alienos, et eos, qui se minime erga ipsos, ut decet, gerant. Commate vero 3. 4. 5. 6. 7. rationem Apostolus subiungit, et fontem quasi constituit, ex quo officia c. 1 et 2 omnibus mandata repetantur. Iisdem vero rationibus, ex fonte euangelicae doctrinae ductis, oratione modo paullulum immutata vitur, quibus superiori capite II. com. 11 seqq. vsus fuerat. Commate enim 8 et 9. huius capituli coniungit id, quod de indulgentia divina dixerat cum iis, quae de officiis in principio capituli praeceperat, ita ut commata haec quasi contexant partes et membra sermonis Apostolici.

APHORISMVS XV.

Minister verbi diuini erga homines quosuis, cum fideles, tum vitiis adhuc inquinatos animo modesto, placido et submisso esse debet: vt et illis, qui magistratum gerunt, si ad Deum conuersi nondum sint, et reliquis omnibus a veritate alienis facillime de veritate doctrinae christianae persuadeatur; et vt ii, qui aliis imperant, ex genuina sanae doctrinae hypotyposi et ex ratione agendi diuina intelligant, quibus rationibus hominum sibi subiectorum vera salus procuranda sit.

Rectissime sane perdiscitur moniti huius Apostolici, quod continetur com. 1. et 2. singularis vis, si rationes, quae c. 3. ad 7. habentur, curate considerentur, ex quibus ipsum hoc praeceptum ductum est.

Monet nimirum Apostolus c. 1. et 2. 1) oportere christianos animo esse submisso erga superiores et magistratum gerentes, licet illi a sacris christianorum, adhuc alieni sint. 2) Oportere illos esse animo paratos ad omnia humanitatis officia, licet ea hominibus profanis, et veritati in-

Fr. Obs. Past. P. II. **Bbb** fensis

fenfis praestanda sint. 3) Credentes abesse debere ab omni maledicentia, licet ipsis occasio maledicendi, aliorum maledictis detur. 4) Illos esse debere animo et a libris alieno, licet ab aliis sollicitentur; et aequo, licet iniquissime ab aliis habeantur. Tandem 5) iubet eos esse lenissimo ac placidissimo animo, non modo erga eos, a quibus lenius tractentur; sed erga omnes etiam ferocios, et saevioris ingenii homines. Atque in eandem fere sententiam Paulus Philippenses capite III, 5. hortatur, *aequitas vestra, inquit, innotescat omnibus hominibus.*

Ratio autem, qua Paulus credentes ad lenitatis, patientiae et submissionis studium impellit, ex ipsa petita est ratione agendi, qua ipse DEVS cum fidelibus usus sit, quum eos a pristina animi prauitate ac vitae impietate ad religiosum sui cultum conuerterit, iisque plenam suam indulgentiam, veniam ac salutem dederit. Hanc ipsam vero rationem altissime et quasi trabali clauo in animis figere studet Paulus, dum fideles memoria repetere vult, qui et quales ipsi quoque ante conuersionem fuerint, nempe, si vel maxime vitia non ita eruperint et exstiterint, nihilo meliores natura illis, quorum nunc peruersitatem et malitiam abominentur. Deinde omnes hac ratione adferenda cogitare iubet,

iubet,

iubet, quo pacto DEVS rem adgressus sit, vt ipsos ad sanitatem reuocaret. Vult ergo, eos secum reputare, non par pari retulisse Deum O. M., nec crimina vitae anteaetae minis et suppliciis vindicasse; sed potius suam *Χρηστότητα* et *Φιλανθρωπίαν* in clara luce collocasse, non vlllo hominis merito, sed libera et gratuita erga nos beneuolentia, qua ductus Filium vni- genam sibi legauerit, per illum miseros mortales ac perditos misericordia com- motus seruauerit, regenerauerit, iudicio liberauerit, renouauerit, Spiritum San- ctum in corda eorum infuderit, haere- desque vitae aeternae eos fecerit. Hinc ergo vult Paulus, omnes illos pudore adfi- ci, qui aliter se gerunt erga homines, quam ipsi Deum sunt experti. Cogitet ergo, iubet quemque, qui Christo nomen dedit, officii sui esse, vt a Christo eiusque in homines bonitatem ardentissimoque a- more exemplum perat, et ea sequatur, quae faciant ad alterius salutem aeternam. Vult denique etiam ostendere, non esse genuinum modum, alios ad beneuolen- tiam imperii Christi traducendi, si aspe- rius tractentur. Quod si enim DEVS se nobis, pro eo, ac meriti eramus, durio- rem praestitisset; prius sane nos perdidisset, quam ex malis et impiis bonos et sui amantes reddidisset. Nunc vero, vt Ioan-

nes ait 1 Epist. III, 19. *ipsum diligimus; quia nos prior dilexit.*

Atque haec est vis orationis et ordinis Apostolici in hac disputatione. Paucis quidem haec omnia Paulus complectitur, sed paucis verbis maximas res dicit, quarum conseruatio pastoribus fidelibus et in dicendo publice, et in priuatis colloquiis, quae instituuntur cum auditoribus, maxime necessaria est; quo omnia ex fonte euangelico ducant, quem Paulus hic nobis aperit ac demonstrat. Ita demum fiet, vt homines in negotio salutis in dies Dei similiores efficiantur, ac tamquam genuini filii patrem coelestem animo vitaque effingant; pacem, amorem, et mansuetudinem, clementiam et aequitatem colentes. Mirum quidem non est, nihil eximii ab iis, qui mente Christi non sunt praediti, et humani animi morbos ignorant, in eiusmodi monitis Apostolicis animaduerti, sed ea tanquam vulgaria praeteriri: interim tamen id pro certo habeo, talia temere contemnentes ne se ipsos quidem hac regula Apostolica metiri, ac proinde longe ab eo abesse, vt mentes auditorum opera indefessa ad eandem similitudinem fingant. Velim itaque, auditores etiam atque etiam hoc monitum Pauli et hanc eius cum reliqua oratione cohaerentiam accuratissime obseruare.

Ego

Ego sane liquido adfirmo, me hoc ipsum monitum Pauli eiusque rationem subiunctam numerare inter illas S. litterarum sententias, quae maximi apud me ponderis sunt, et animo meo altissime infixae manent. Imo ingenue profiteri non dubito, me in curis pastoralibus saepius ad idem dictum confugisse, atque ab illo quasi consilia agendi petiisse: quapropter non possum, quin auditores, quantum fieri potest, exhorter, ut etiam ipsi et ad suam et ad aliorum utilitatem idem faciant, ac praecepto hoc Apostolico publice et privatim numquam non utantur.

1) Praeterea autem notandum, in Aphorismo nostro requiri a ministris verbi diuini, ut pio sedatoque animo erga omnes sint. Nisi enim hoc fiat, non satis fit doctrinae Apostolicae, quae praescribit c. II, 7. ut ministri verbi, in quorum numero Titus erat, se per omnia proponant *tamquam exempla recte factorum*. Praeterea tota haec res ita est comparata, ut exemplo longe melius doceri, quam praeceptis possit. Neque enim vlla alia re magis Spiritus Christi, ac vera discipulorum eius genuinorum indoles declaratur, quam hac ipsa, quam cum maxime praecipimus. Quod si enim auditores in doctore suo expressam imaginem animi et vitae Christi cernant, lubentius

Bbb 3 quo-

quoque illum diligent, colent, ac vestigia eius sequi studebunt.

2) Notandum, praeceptum hoc Apostoli non esse contrarium illi, quod c. I, II. 13. dederat, de redarguendis corruptoribus, quos Apostolus tamquam membra mortua remoueri vult, quia reliquis noceant, et totas domos euertant, docentes, quae non oporteat, turpis quaestus causa. Nemo enim agno Dei mansuetior fuit: neminem tamen fugit, ipsum acriter admodum obiurgasse saepius Pharisaeos, acerbissimos aequae atque infensissimos veritatis coelestis hostes. Idem de Ioanne, Christi praecursore, reliquisque Apostolis atque Prophetis in V. Testamento constat. Non ergo illico commotioni animi vitiosae tribuendum, si serui DEI grauius interdum in atrocia hominum scelera, aut in contumaciam praefractam, aut in simulationem nefariam inuecti fuerint. Verum ministris verbi diuini quouis modo cauendum est, ne forte, sibi in obiurgatione, etiam vehementissima, alio nisi sancto motu animi a Spiritu DEI excitato, vti licere, putent. Sciant, tum quam maxime impetum mentis esse cohibendum, si vehementius conciteretur, nec vlla fere alia in re magis animo excubare oportere, quam in obiurgationibus publicis, cum propter alias, tum maxime propter hanc

hanc causam, quod nihil sit facilius, quam ut animus imperu incitatus abripi se patiatur. Quid enim tum, si quem testis interior, conscientia nimirum mentis, conuincat et redarguat, motum illum fuisse vitiosum? num prouocare ad exemplum Christi, Apostolorum et Prophetarum poterit, qui et ipsi acrius infectati sint vitiis atrocibus et inflexibilem hominum peruicaciam?

3) Notandum est, commata haec octo priora capitis III. arctissime cohaerere cum c. I. capitis II. Pertinent enim ad illud monitum generale, quo iubebatur Titus loqui ea, quae conueniant sanae doctrinae. Quando itaque Paulus commate inprimis 8. dicit: *Fidus est hic sermo, et de his volo te adseuerare cet.*, nihil aliud facit, quam ut inculcet illud ipsum, quod dixerat c. II. 1. *At tu loquere, quae decent sanam doctrinam.* Et quemadmodum illud monitum repetierat cap. II, 8. ita denuo illud vrget hoc commate 8. Respiciunt autem sequentia verba: *De his volo te adseuerare, ut studeant bene facere, qui crediderunt Deo. Haec illa sunt, quae honesta sunt et utilia hominibus*, non tantum ad comma illud primum capitis II; sed et ad c. I, 10. II. sicut etiam c. 9. huius capitis cum c. II. capitis primi comparandum est. Et hac ratione oratio Apostolica apte cohaeret.

Identidem itaque hoc inculcandum est, ita legendas esse epistolas Paulinas, ut semper accurate teneatur et obseruetur ordo et consecutio orationis, quae docet, Paulum adeo non sui oblitum esse, ut potius, quae in extrema fere epistola scripta sunt, cum illis accurate coniungantur, quae in prima parte leguntur. Quod si recte animaduertatur, multo suauior est Paulus in epistolis suis, multoque maior sermonis vis. V. g. Si cui de commatis 8. sententia recte constet, videbit is sane, singulari ardore inflammatarum apostolum dicere: *Fidus est hic sermo, et de his volo te adseuerare*; de his, inquam, non de illis nugis, fabulis, institutis denique hominum, quibus Pseudo-Apostoli obtundunt eos, qui in fide minus firmati et corroborati sunt. *Talia sunt bona atque utilia v. 9*, non illa, quae mentium corruptores proferunt. Quod si ergo non notata coherentia rem intueamur, difficilis omnino erit ad cognoscendum sanctus ille animi Paulini motus, in quo tamen maxima vis, et maximum pondus inest: cognito vero atque perspecto adfectu, nec non argumento illo Evangelico, quo Paulus utitur c. II, 13. 14. et c. III, 4. 5. 6. 7. eo maioris etiam ponderis apud nos omnia erunt, et ad animum incendendum valebunt. Deprehendemus enim tunc, cuius generis homini-

mini-

minibus opposuerit, et qua ratione vrsit integritatem doctrinae christianae, nec minus, quomodo ex grauissimis locis theologiae christianae praecepta officii duxerit, quibus non solum mores externi, sed vsus vitae christianae internae ex vera fide proficiscentis conformatur. Non enim vnum idemque est, nosse sententias veras de Christo, tum de vsu vitae christianae, et easdem ratione Apostolica exponere: quamobrem quam maxime illa cohaerentia ostendenda fuit, quo eo clarius ostenderetur vis huius orationis. Nam certe Spiritum quasi Christi, mentem genuinorum discipulorum Christi, veram christianismi naturam Paulus ob oculos ponere, et omnia simul ex genuinis principiis ducere voluit. Hanc igitur ob causam animum aduertere debemus, vt pondus verborum et vim ardoremque animi notemus et ipsi quoque comprehendamus. Tamdiu enim legendus est Paulus, dum omnia declarent incitationem diuinam mentis, dum ipsum videamus quasi viuum praesentemque nobis, et loquentem audiamus; dum omnibus ipsius verbis eodem quasi ardore inflammemur, quo oratio eius est incensa: quod imprimis fieri potest et debet in hac pericopa, quam adhuc considerauimus.

Cap. III, 10. 11.

Haereticum hominem post unam et alteram admonitionem vita: Sciens, eum peruersum et eiusmodi esse, ut peccet, et sua ipsius sententia sit condemnatus.

APHORISMVS XVI.

Minister verbi diuini neminem tam peruersum iudicare debet, quin ante omnia statuatur, hominem audiendum, et si in errore aut culpa sit, erroris aut peccati placide ac folide conuincendum, et semel atque iterum admonendum esse; quo hac ratione, quantum in se est, experiatur, an forte errantem lapsumque in viam reducere opera sua possit. Quod si vero quis aliquoties admonitus eam aperte prodat animi peruersitatem, ut, licet erroris et culpae fati conuictus sit, nec habeat, quod liquidis S. litterarum dictis opponat, aut quo rationes euidentibus sibi expositas infirmet, nihilominus tamen pergat errorem et culpam aut negare aut defendere: non cogitur minister verbi diuini

uini sine intermissione eiusmodi hominem in cassum monere, et in eo obtundendo perdere operam, aliis non sine fructu impertiendam. Testibus enim ipso Christo Matth. XVIII, 15. 16. 17. et Apostolo hoc in loco, religioni satisfecit et extra culpam se posuit, si bis terque periculum fecit, an forte animum alterius corrigere possit, inprimis si alios nonnullos tamquam admonitionis suae testes adhibuerit, ad contumacem alterius animum eo facilius flectendum. Inposterum igitur huiusmodi peruersum hominem permittat misericordiae diuinae, et patienter expectet tempus, quo forte illi Deus meliorem mentem ad agnoscendam veritatem det, ut ad frugem rediens ex diaboli laqueis se expediat, quibus adhuc irretitus fuit.

Ad hunc Aphorismum rectius intelligendum, sapientiusque ad vitam referendum, notetur,

1) Capitis huius commatibus 10 et 11. antecedentia, inprimis caput I. lucem adferre. Ex eo enim constat, Apostolum hic non agere de quibuslibet hominibus
erran-

errantibus, sed de eo hominum genere, quod descripserat c. I, 10. 11 seqq. et quibus os obturandum erat. Hinc igitur unicuique satis liquido constare potest, quos Apostolus vocet hoc in loco haereticos. Notari potest,

2) *Haereticum* non male eiusmodi hominem esse dici, qui intra ecclesiae gremium articulum quendam fidei fundamentalem pertinaciter impugnet, confusiones et offencula in ecclesia pariat, et in opinione sua, quantumvis saepius monitus, nibilo minus tamen contumaciter et malitiose perseueret; quae sunt verba BALDVINI in *Commentario* ad hunc locum. Qui ergo in rebus aut credendis aut faciendis vel inscii errant, non statim haeretici sunt habendi; sed potius monendi et corrigendi. Paulus enim adhiberi ad illos emendandos vult *ἡ δόξα*, quod verbum doctrinam et admonitionem sine obiurgatione significat. Conf. Eph. VI, 4. Rom. XV, 14 et I Thess. V, 14. Quodsi vero rationibus maxime probabilibus perspici possit, aliquem non simpliciter et nude in errore versari, sed animum malitiose obstinare, in veritate impugnanda: non tamen idcirco deserendus, sed auctore suaforeque Paulo et docendus et erroris placide, missa omni vehementiore obiurgatione, semel atque iterum adhibitis argumentis et rationibus

con-

conuincendus, hacque ratione tentandum est, num, damnato errore veritati locum relinquere velit; quam si malitiose aspernetur, tandem euitandus fugiendusque est. In fonte est *παρὰντὲν* *reice ipsum*, et fuge omnem eius usum et consuetudinem; propterea quod sua ipsius sententia condemnatus est. Quam rationem Paulus subiungit, ut ostendat, verbi ministrum minime deserere ius officii et amoris, si hominem eiusmodi bis terque admonitum, et satis conuictum erroris deserat, cum sit *αὐτοκατάκριτος*. Veritas enim tam aperte, tam clare, tam perspicue et euidenter ipsi exposita fuit, ut nihil prorsus habuerit, quod solidae illi veritatis demonstrationi opponere potuerit; et tamen conscientia licet conuictus adduci se non patitur, ut errorem agnoscat. Est ergo eiusmodi veritatis coelestis apertus et contumax hostis vere *αὐτοκατάκριτος*, sui ipsius iudex, se ipsum damnare coactus, et seiungens se a coetu atque ab ecclesia, ita ut neutiquam DEO probari possit. Notandum est autem

3) Monitum Pauli non tantum ad illos pertinere, qui in erroribus doctrinae christianae versantur, propter animi perversitatem ac turpis lucris studium; sed et ad illos referendum, qui cum se vitis inquinant,

narint, ab illis recedere, eaque virtutibus emendare recusant. Ergo hi quoque iterum iterumque monendi sunt et exhortandi: id quod collatio Matth. XVIII, 15. 16. 17. satis potest commonstrare, vbi Christo res non est cum istis, qui errant in doctrina; sed cum iis, qui in fratrem consulto et sine intermissione peccant: nec vero solum illos vult admonitos, sed etiam illud gradatim fieri iubet; ita quidem, vt a) ab eo admoneantur, in quem peccarunt; b) testibus adhibitis; c) ab ipsa ecclesia; ac tum demum, si animum obfirmare pergant, deserantur. Quemadmodum ergo

4) Hoc solatio esse potest fidelibus ministris, quod non cogantur, semper pugnare cum hominibus, quorum obstinatio voluntatis et *πνεῦμα κατανύξεως*, deprauatio animi, immo etiam maledicentia in luce collocata est; (haec enim sunt vera signa insanabilis ingenii:) ita illis etiam atque etiam prouidendum est, vt recte hoc monito Apostoli vtantur, nec desidia se dedant, et minus faciant, quam ratio officii postulat. Quod si enim quis hominem impium et refractarium aliquoties quidem sed satis frigide admonuisset, et se tum officio suo egregie functum esse sibi persuaderet: plane erraret, nec praecepto

cepto Apostoli, ceteroquin vere aureo, recte vteretur.

Interim ipsa muneris sacri procuratio docet, in praecepto hoc seruando multa vsu venire, quae sollicitudinem adferant. Nam *primo* in ipso ministro ecclesiae saepe ex imbecillitatis conscientia timor oritur, vt, si ipsi cum eiusmodi homine res sit, facile metuat, ne minus officii sui partes impleuerit. *Deinde* etiam cruciatur interdum a superioribus, vias DEI non satis intelligentibus, qui temere requirunt, vt sine intermissione refractarios homines obtundat, licet videat, operam perditum iri. *Denique* etiam interdum ab eiusmodi hominum, qui omnem admonitionem eludunt, cognatis, de emendatione suorum sollicitis, ipsi molestia exhibetur. Facile enim isti a ministro verbi diuini postulant, vt centies milliesque homines obstinatos admoneat, caussantes, eum alioqui desidia aut infidelitatis argui posse. Habet itaque in verbis Christi et Pauli, quo se defendat, vt et suum animum placet, et superiores vna cum cognatis dedoceat. Pretiosum enim tempus seruatorum Dei non inuuliter perdendum, sed in salutem animarum, veritati parentium, impendendum est.

Solent

Solent quidem eiusmodi homines ob-
 icere locum illum Luc. XV, 4. *Pastor fi-*
delis linquit centum oves in solitudine, et
quaerit vnā amissam. Verum dictum il-
 lud minime repugnare potest veritati, de
 qua hic sermo est. Recte enim responde-
 re potest seruus Dei: Vtinam ne habe-
 rem, nisi vnicam ouiculam amissam, uti-
 nam ne plures essent quaerendae! Iam
 cum in vnico grege, inter centum saepe
 vix vnica anima sit, quae vere ad Pasto-
 rem Christum reducta dici possit: postu-
 lari certe nulla ratione a ministro ecclesiae
 potest, ut omnes illas oves amissas dese-
 rat, et vnicam, omnem correctionem
 aspernantem, sequatur. Nec ipse Christus
 vnicam tantum ouiculam quaesivit, sed
 quaesitum iuit oves amissas quascunque ex
 domo Israelis. Quum etiam Samaritani
 ipsum, ut diutius apud se commemoraretur
 rogarent, respondit: *Aliis etiam locis*
adnunciandum est euangelium: ad quam
 rationem agendi ministro ecclesiae omni-
 no prouocare licet.

Quod reliquum est, omnis pruden-
 tia in reducendis ad officium perditis au-
 ditoribus adhiberi debet. Cauendum ita-
 que verbi diuini ministro etiam atque et-
 iam est, ne versantem forte in errore ali-
 quo statim pro suggestu publice obiurget,
 aut

aur contumeliose habeat. Priuata enim admonitio omnino publicae reprehensioni semper est praeuertenda, atque id omni studio agendum, vt ostendatur hominibus vitiorum, quibus laborant, turpitude, quo eo facilius ab iis reuocentur. Multi enim non tam malitia, quam inscientia peccant.

Cap. III, 12. 13. 14. 15.

Quum misero Arteman ad te, aut Tychicum, sine mora velim venias ad me Nicopolin: nam illic decreui hiemare. Zenan, legis peritum, et Apollo sedulo deducito, curans, ne quid illis desit. Discant autem et nostri, recte factis excellere ad necessarios vsus, ne sint steriles. Salutant te, qui mecum sunt, omnes. Saluta eos, qui diligunt nos in fide. Gratia DEI sit cum omnibus vobis. Amen.

APHORISMVS XVII.

Minister verbi diuini non sit quidem πολυπραγμων aut άλλοτριεπισκοπος, nec huius vitae negotiis ignobilioribus praeter necessitatem implicetur;
Fr. Obs. Past. P. II. Ecce nam

nam plura sibi iam esse ratione muneris mandata sciat, quam quae obire possit: veruntamen sedulo caueat, ne in alteram labatur partem, arbitratus, nihil rerum externarum ad se pertinere, quanquam caritas erga alios, et ipsa necessitas earum curam ab ipsis exigere videatur. Quin potius minister ecclesiae suo doceat exemplo, quam adcuratum oporteat esse hominem christianum in officiis amoris, in alios conferendis, ut discant etiam disciplinae ipsius alumni, in bene agendo operam ponere, et ea fideliter et recte curare, quae ad necessarios vitae usus pertinent, neue sint steriles.

Prius quam ad vberiore Aphorismi huius explicationem aggredior, e re esse statuo, nonnulla differere de clausulis Epistolarum Apostolicarum.

Et *primo* quidem istae minime sunt vilipendendae. Impurus quidem ille scurra SPINOZA temperare sibi non potuit, quin mordaci dente eam Apostolorum consuetudinem arroderet, qua pro rerum ac temporum ratione epistolis suis

res

res domesticas ac familiares immiscet; criminatur enim homo impius, talia Deo suggerenti non tribui, nec tanquam res leuioris momenti ab hominibus, adflatu Spiritus S. concitatis, scripta dici posse. Qua in re impurus ille quam maxime fallitur, et cum eo falluntur cuncti, qui aspernantur domestica illa et familiaria, ab Apostolis passim in epistolis adspersa. Nec enim illa tollunt instinctum Spiritus Sancti, quo viri sancti concitati fuerunt; nec DEVS a negotiis nostris domesticis et quotidianis abesse aut illa fastidire credendus est. Quemadmodum enim Paulus Coloss. III, 17. omnia, et dicta et facta, in nomine IESV Christi proferri et peragi vult, id quod maxime consentaneum est doctrinae Apostolicae: ita probat simul, quemlibet christianum sanctum in omnibus dictis suis et factis esse, nec existimare debere, res domesticas et negotia, imprimis minuta illa, quae in familia fiant, nimis leuia esse, quam vt fiant in nomine IESV Christi. Hoc ergo satis argumento est, SPINOZAM non comprehendisse animo suo τὸ Θεῶν hominis christiani, et ne quidem suspicatum esse, qua in re sanctitas vera consistat. Conferri autem hic locus egregius LVTHERI potest, quem ad c. I, 15. 16. citauimus.

Ccc 2

Dein-

Deinde permagni interest, nos ex viris θεοπνεύστοις, Apostolis et seruis Dei, quos S. litterae nobis commendant, exemplum capere et discere, quomodo se gesserint in rebus eiusmodi externis; quo et nos ad illorum normam vitam conformare possimus.

Iam quod ad ipsum Aphorismum pertinet, notandum est

1) Ut quemlibet christianum, ita maxime illum, qui animorum curam gerit, τὴν πολυπραγμοσύνην, tamquam pestem fugere, et providere debere, ut negotia sua finibus operis ac muneris sui circumscribat, nec alienis rebus se implicet, aut praepostero omnibus satisfaciendi studio, temere cuncta suscipiat, quae ab aliis imponuntur; ne, si nihil negare velit postulantibus, vel alieno onere opprimatur, vel id, quod ipsi proprie impositum est, deponere cogatur. Inprimis vero caueat exemplo Christi Luc. XII, 13. 14. minister verbi diuini, ne negotia ciuilia agat. Notent etiam sibi haec dicta illi Studiosi Theologiae, qui, studio omnibus hominibus inferuendi ducti, negotia, quae ab aliis ipsis mandantur, promiscue in se recipiunt: vnde fieri solet, ut breui temporis spatio reddantur plane inepti ad colenda studia Theologica. In animo ergo
sem-

semper habeant illud Siracidis : *Ea attingenda non esse, quae non sint officii nostri.*

Notandum autem est

2) Negotia caritatis, et necessitatis minime ab officio ministri ecclesiae aliena esse, ut ab officio Theologiae Studiosi aliena non sunt. Observandum

3) Studiosos Theologiae ex educatione scholastica haud raro eo vitio laborare, ut ad officia caritatis praestanda et ad necessarios usus plerumque inepti sint. Neque enim, qui hodie ad studia colenda animum adplicant, simul operam dare solent, ut, si occasio ita fert, ad res quoque gerendas parati et prompti sint. Peculiari itaque admonitione egent, ut vitium hoc educationis primo quoque tempore emendare studeant, nec modo libris legendis vacent, sed etiam promptos paratosque se praebeant, ad officia aliis tribuenda, si amor mutuus necessitasque id exposcat. Requirit enim Paulus a creditibus, ut in rebus ad necessarios vitae usus pertinentibus aliis exemplo sint. Notetur autem

4) Spiritu σωφρονισμῶν opus esse, ut ne quis in alterutram partem lapsus, aut minus officiosus, aut nimis operosus et negotiosus sit, ac proinde prudenter officia caritatis et necessitatis ab

ἐπισκοπία fecernat, eo modo, vt illa declinet, quae sine damno muneris sibi assignati praestare haud possit; contra vero paratus sit ad ea, quae vitae socio salua religione negare haud licet.

Quod reliquum est, memini laudare me sub finem cuiusque Aphorismi vnum alterumque librum, qui ad argumentum pertractatum conferri pluribus possit. In praesenti ergo placet commendare id, quod praestat omni librorum lectioni, docente Ioanne I Epist. cap. II, 27. *Vnctio, quam vos accepistis ab eo, manet in vobis; et non necesse habetis, vt quisquam doceat vos: sed sicut ipsa vnctio docet vos de omnibus, ita verum est, et non est mendacium, et sicut docuit vos, manete in illo.* Hanc vnctionem Spiritus Sancti commendo auditoribus, precibus assiduis et constantissimis a Deo efflagitandam et impetrandam. Christus enim ab Apostolis digrediens id non curauit, vt liber ipsis traderetur, quem studiose legerent, quoque instituerentur ad omnia illa, quae ad nunciandum Euangelium essent necessaria; sed Spiritum Sanctum in animos illorum iri infusum promisit, quo ad rem gerendam auctore et duce vterentur. Hoc si discant auditores in vltima
 hac

Aphorismi Pastorales.

hac schola, Deumque rogent, vt Spiritum Sanctum, donum illud proprium N. Testamenti, ipsis largiatur; futurum certe est, vt ad exsequenda officia, Domino debita, nunquam non instructi paratique inueniantur. Notent sibi quoque effatum illud Samuelis ad Saulem 1 Sam. X. *Irruet in te Spiritus Sanctus, et tunc quae sub manu erunt, facias. Dominus enim tecum est.* Si quis enim non fiat particeps Spiritus Sancti, certe neque hae scholae pastorales, neque reliquae omnes, quaecunque et quamuis eximiae fuerint, vtilitatem ipsi adeo magnam adferent, sed erunt vt gladius in manibus aegri aut infantis. Praeditum ergo quemque gratia, ac dono Spiritus Sancti esse oportet, qui eiusmodi institutionibus pastoralibus ex sententia ad amplificandam diuini numinis gloriam auditorumque suorum salutem vti voluerit.

Tibi, benignissime DEVS, gratias agimus pro datis viribus ad perfungendos hos labores, et pro gratia tua, qua nos dignari voluisti omni hoc tempore. Iam ergo rogamus te supplices, velis illa omnia, quae largitus es, benignissime

Ecc 4 nobis

nobis ac clementissime fortunare, ut radices agant in animis nostris, et ad salutem et utilitatem ecclesiae augeantur et maturescant. Cumules etiam bonis tuis auditores, et eorum studia in posterum prosperes, quo omnem suam operam, immo omnem animum mentemque in eo locent ac figant, ut nihil ad se suamque utilitatem, sed omnia ad IESVM Christum, finem illum omnium rerum, referentes, ea agant, quae ad suam primum, deinde ad aliorum pertinent aeternam salutem. Adnuas, quae sumus, votis nostris, benignissime DEVS, et omnibus nostris laboribus pro summa tua erga nos voluntate prosperos successus des.
Amen.



DAS